8. 46. 65, 3.

Confronta

l'edizione del

1816

~~Coll. 8. 39 H 18~~

NAZIONALE
8
46 B
3
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 15. ∂

III
7
G

8.46.B.3

Proibito

FIDEI MAIORVM NOSTRORVM DEFENSIO;

QVA HÆRETICORVM SÆCVLI noſtri aſtus ac ſtratagemata deteguntur; Reuerendiſſ. Patre, Fratre CHRISTOPHORO A CAPITE FONTIVM Ordinis Fratrum minorum Generali miniſtro auctore.

HIEREMIÆ VI.

Hæc dicit Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona; & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus veſtris.

Biblot. Coll. Soc. Iesu Rom.
BIBLIOTECA ... ROMA

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXV.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio cautum eſt, ne quis hunc librum, cui titulus eſt, *Fidei Maiorum noſtrorum defenſio, &c.* citra auctoris voluntatem ante decem annos imprimat, aut alibi impreſſum in ſuas ditiones importet, venalémve habeat: qui ſecùs faxit, pœna fiſco Regio exſoluenda multabitur: vt latiùs in Regio diplomate expreſſum eſt, dato Bruxellæ in conſilio priuato, ſecunda die Auguſti 1574.

Subſig.

I. De la Torre.

PHILIPPO MAGNO

HISPANIAE REGI CATHOlico & Potentiß. F. C. de Capite Fontium, totius Ordinis S. Franciſci de obſeruantia, Generalis Miniſter indignus

S. D.

INTER cætera dona, Philippe rex Catholice, quæ diuina bonitas, pro lapſus generis humani reparatione hominibus contulit, fidem primum obtinere locum, velut quæ & maximas ſecum adferat vtilitates, & ſummè ſit ad ſalutem conſequendam neceſſaria, certo certius cuilibet catholico Chriſtiano conſtat. Eſt enim pretioſiſſimus & ditiſſimus theſaurus hominibus, cum quo dedignaretur ſapiens aurum aut argentum aut lapides pretioſos conferre, cùm omne aurum illius comparatione arena ſit exigua, & argentum lutum eſſe repute-

tur. Nam qui hoc bene vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter iuſtitiæ dona commendati. Et quod maius bonum in hac mortali vita homo deſiderare, aut illi contingere poſſet, quàm diuinæ participem amicitiæ fieri, quod vera viuaque fides præſtat, & ſine qua (Apoſtolo teſte) impoſſibile eſt placere Deo? Id vt ſeſe habeat, quaque ratione fides & Dei nobis amicitiam conciliet, & abſque ea illi placere ſit impoſſibile, paucis, breui hac epiſtola declaratum velim. Habent enim hoc naturæ iura, vt eodem ordine redintegretur amicitia, quo interrupta fuerat, & ſatisfiat offenſo, iuxta illatæ conditiones iniuriæ. Conſtat autem illud amicitiæ fœdus, quod cum primis hominibus in paradiſo terreſtri conſtitutis inierat Deus Opt. Max. hanc maximè ob cauſam fuiſſe diſſolutum atque diruptum, quòd illi de re inuiſibili & aliter ſenſibus humanis apparente loquuto credere noluerunt; vni verò

beſtiæ

beſtiæ diaboli miniſtro, quod callidiſſimum & aſtutiſſimum erat omnium animaliũ, potius quàm ipſiſſimis Dei verbis iiſque clariſſimis crediderũt. De cibo enim illo mortis, cuius eſum hominibus prohibebat, dixerat Deus, ſub ſpeciebus illis viſibilibus, quæ eum apparenti quadam dulcedine humanis ſenſibus commendabant, inuiſibilem contineri mortem. Quacumq;, inquit, hora ex eo comederitis, morte moriemini, aliàs ſcilicet futuri immortales, ſi ab hac vna mortifera abſtinueritis eſca. Sed inuidens antiquus ille ſerpens diabolus tanta bona hominibus, quãta credendo Dei verbis erant aſſequuturi, ſi iis inconcuſſa & firma fide adhæſiſſent, quàm potuit aſtutiſſimè ad eorũ perniciẽ mortemq; graſſatus eſt. Nam aſſumpto miniſtro eoque callidiſſimo, tametſi is nihil aliud eſſet quàm beſtia, de hæreſi deque infidelitate hominem tentare cœpit, ſimpliciorem atque ad decipiendum faciliorem fœminam ita

aggreſſus. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradiſi? Quibus verbis quid aliud moliebatur ille veterator & callidus, niſi vt mulierem ad diſputationẽ contra Dei verbum, & fidem quam illi debebat, ineundam alliceret? Ita curioſa, ſed inconſulta mulier miniſtrũ diaboli contra ſuam fidem diſputantem non ſolũ patiẽter audiuit, verùm etiam illi cùm obturatis auribus procul eo maledicto fugere debuiſſet, reſpondere præſumpſit. Nihil autem periculoſius, quàm ſimpliciores quoſque aut diſputare, aut diſputantes contra catholicam fidẽ audire velle. Nam velut hamo ineſcantur piſces & capiũtur, ſic diſputationis curioſitate ineſcatos homines à vera fide detorquere ſolet & capere diabolus. Quod in prima illa fœmina nobis tanquam in ſpeculo clariſſimè cernendum proponitur. Nam vbi diſputationem ſuam patienter audiri vidit callida illa beſtia, cuius miniſterio tum diabolus

vtebatur, ſtatim illud ſuum nequaquã Dei verbis auſus opponere, Nequaquã, inquit, moriemini, ſed eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum. Quaſi diceret: Mulier crede mihi, non eſt ita de cibo hoc credendum, atq; Deus dixit: Non enim mortem in ſe continet deliteſcentem; ſed vim quandam immortalitatis, ac æqualitatem diuinæ ſcientiæ conferentem. Ego vtilitatis tuę maiori cura ardentioriq́ue deſiderio teneor, quàm ipſe Deus, qui tantum tibi bonum inuidet: ego veritatem dicturus ſum tibi, quam Deus, timens ne illi fias æqualis, celatam te voluit. Vides quàm ſit pomum hoc pulchrum viſu, odoratui gratum, ſuaueq́ue ad veſcendum! Qui fieri poteſt, vt ſub tanta pulchritudine, ſuauitate, dulcedine, triſtis ingrataq́ue mors contineri queat? Minimè, minimè: nequaquam, ô mi Eua, morieris ex eo comedendo, quicquid tandem Deus tibi dixerit. Tali oratione permota credidit mulier beſtiæ po- Geneſ. 2.

tius, quàm Dei verbis, facta infidelis, incredula, & hæretica, intulitque Deo iniuriam, qua maiorem vix humana mens concipere animo, aut cogitatione aſſequi poſſet. Idem enim erat quod faciebat, ac ſi dixiſſet: Beſtia hæc maiore mei cura tenetur quàm tu, magiſq; me diligit. Tu mihi veritatem celaueras, quã me hæc beſtia docuit. Tu mentiebaris, cùm mortem hoc in cibo diceres contineri: hæc quæ oppoſitum aſſerit beſtia, non mentitur, ſed veritatem dicit. Tu mendax es, hæc verax: tu veritatis nobis inuides cognitionem, hæc autem ſincero animo palam manifeſtéque proponit. Huic ergo credidero ego, tibi autem nequaquam. Sic à Dei amicitia receſſit, ſeſéq; diſiunxit, Deo facta inimica, amica autẽ diaboli. Nec hoc contenta, virum quoque in ſocietatem criminis, contumaciæ & erroris ſecum allexit & traxit. Vnde omne amicitiæ fœdus, quo homo Deo adhærebat, irritum factum eſt: Deus autẽ iuſta

indi-

indignatione ad iracundiam prouocatus, hominis factus eſt inimicus omniumque poſterorum eius. Poterat enim iuſtè cõqueri & dicere: Egóne poſt tot in te collata beneficia, vllá tibi dedi occaſionem credendi, nullam me tuæ vtilitatis rationem habere, aut tibi veritatis cognitionem inuidere? Quo te ſibi beneficio demeruit illa beſtia, vt plus illi fideres quàm mihi? Egóne tibi mẽdax eſſe videor, fœda autem illa beſtia verax? Egóne improbus, & illa tam virtutis amans cui tutò quicquid dixérit, credere poſſis? Vah, quàm me contemptum poſt tot in te collata beneficia habes! Vt autem certò ſcias, me verum dixiſſe, non diaboli miniſtrum, morte morieris, teque cum execratione & maledictione ex hoc voluptatis loco expulſum, pro capitali inimico ſúm habiturus, omnéſque qui ex te naſcentur filios nullo meo fauore aut gratia dignos fore decerno. Qui enim mẽdacij me arguens, tantum honoris mei

feciſti detrimentum, tantamque mihi iniuriam intuliſti, indignus certè es, quem vllo vnquam aut fauore, aut amore complectar. Et ſic à Dei amicitia per ſuam incredulitatem ſeiunctus eſt Adam, omneſque eius poſteri. Vnde quicquid malorum & miſeriarum in genus humanum redundauit, ex illo incredulitatis fonte manat & profluit; huic malorum omnium examen acceptũ ferre debemus; hinc omnes ærumnæ, quibus humanum genus atteritur, Dei iræ maledictionique ſubiectum, donec tandẽ miſertus Deus tantæ ruinæ mediatorem miſit in terras, qui nos illi reconciliaret, cùm eſſemus inimici eius, quique fœdus amicitiæ inter Deũ & hominem redintegraret. In quo ineundo fœdere, miro æquitatis iure mediator noſter vſus eſt, dum propoſitis ex Dei patris parte certis inuiſibilibus dogmatis, fidem Dei verbis deinceps haberi, quicquid tandem dixerit, exigit inſtantiſſimè, fruſtra de reconciliatio-

ne & pace ineunda agi teſtatus, niſi hac via, fideiq; compendio in Dei gratiam homines redire inſtituant. Qui enim nõ credit, iam iudicatus eſt. Nam incredulorum pars erit in ſtagno ignis ardentis. Sine fide ſiquidem impoſſibile eſt placere Deo. Hinc factum eſt vt fidei habeamus articulos à Chriſto nobis propoſitos, quorum rationem nullus ſenſus, nulla humana ratio aſſequi aut comprehendere poteſt, quibus intelligẽdis ſola fides oſtium aperit, quorum ipſa ſubſtantia argumentumque eſt; Dei verbo hominem firmiter adhærere faciens. Inter cætera autem noſtræ reconciliationis media miro diuinæ ſapientiæ & iuſtitiæ conſilio inſtitutum eſt, à noſtro mediatore Chriſto auguſtiſsimũ Euchariſtiæ ſacramentũ, de quo certa quædam dogmata credenda propoſuit, ſenſum omnẽ humanũ ſuperantia: vt quoties ſpecies eius viſibiles noſtris ſeſe offerrẽt obtutibus, exercendæ fidei & placendi Deo occaſionem

Ioan. 3. Apoc. 21. Hebr. 11.

nem haberemus, necnon & expiandi illius criminis incredulitatis primorũ parentum, per quam circa cibum mortis, eius maieſtatem offendentes; iræ mortiſque filios nos omnes conſtituerant. Sicut enim per cibum mortis fidẽ obedientiamque primorum parentum probare & tentare voluit; ita nunc per cibum vitę fidem obedientiamque ſaluandorum probandam eſſe decreuit, antequam ex filiis iræ & mortis, diuinæ gratię vitæq; filij efficerentur. Contra cibum mortis cibum vitæ remediũ & antidotum propoſuit; quid de eo credendum eſſet, clariſſimis verbis omnes admonuit; ſub æternæ mortis intermi-natione omnibus qui vitam per cibũ mortis olim perditam nunc recuperatam vellent, hunc vitæ cibum acciperent, præcepit; ſibi autẽ credatur, quicquid tandem de eo dixerit, exigit inſtantiſſimè, nulla nos ratione aliàs reparari aut ſaluari poſſe teſtatus. Æquũ autem & iuſtum eſt, nunc plus creda-

mus

mus verbis Dei de cibo vitæ, quid ſit exponenti, quàm olim creditũ fuit verbis miniſtri diaboli, quid cibus mortis contineret, mentienti. Sic enim diuinæ maieſtati ſuum reſtituimus honorem, quem illi ablatũ in beſtiam illam aſtutiſſimam primi parentes tranſtulerant; ſatisfacimuſque quodammodo diuinæ iuſtitiæ pro illorũ incredulitate & impietate, & eorum crimen deteſtamur, à nobiſque reiicimus. Quod facientes & diuinum nobis conciliamus fauorem, ex filiis iræ, Dei filij facti: & vitam pro morte recuperamus, quæ per Adami inobedientiam, in omnes nos imperiũ acceperat. Hîc ergo circa hoc admirabile ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, circa verum ſcilicet vitæ cibum præcipuè fidem filiorum Adam tentari, probari, exerceri, hîc ſalutis noſtræ cardinem verti, hîc reconciliationis cũ Deo ineundæ rationem poſitam voluit, vt homines diſcerẽt deinceps Deo credere & obedire, oblatum ab eo &

præ-

præſcriptum contra cibum mortis remedium cum gratiarum actione ſinceraque fide humiliter amplectendo. Quod quiſquis ſecum attentiùs perpẽderit, intelliget opinor, quid D. Paulus dictum vellet, cùm aſſereret, impoſſibile eſſe ſine fide placere Deo: intelliget etiam quàm bene ſaluti noſtræ conſultum fuit à Chriſto, & quàm admirabili diuinoq; conſilio, dum tam difficilia creditu & tam incomprehenſibilia myſteria de cibo vitæ credenda propoſuit. Sed quid factum eſt? quid mali iterum aduerſum miſeros mortales machinatur & molitur vetus ille ſerpens diabolus? Certè eadem inuidia, qua olim motus primos parentes ne Deo crederent aut obedirent, circumuenit, iiſque vt à ſe cibum mortis acciperent, perſuaſit; nunc quoque filios Adam per ſuos callidos aſtutoſque miniſtros & beſtias circumuenire conatur, ne credant verbis filij Dei, cibum vitæ corpus ſuum & ſanguinem eſſe

dicentis, contemnantq́; remediũ contra cibum mortis ab auctore vitæ nobis commendatum, oblatum atque præſcriptum; vt ſic iræ, maledictionis & mortis mãcipia maneamus ſemper & ſimus. Vult enim, relictis vitę verbis quæ Chriſtus de cibo vitæ dixit, adoremus & recipiamus verbum mortis, & ſuum illud nequaquam, quod iterũ per ſuos miniſtros ſacramentarios ſcilicet noſtri temporis verbis Dei impudẽter opponit. Deus enim dixerat: Hoc eſt corpus meum: beſtiæ autẽ ceu miniſtri diaboli dicunt audacter, Hoc nõ eſt corpus eius; ſed illud ſignificat. Nequaquam, inquiunt, eſt caro eius, ſed ſignum tantum carnis eius: ſicq́ue miſeris hominibus & incautis ſua verba pro Dei verbis obtrudentes & venditantes imponunt. Hoc autem ita aſtutè & callidè faciunt transfigurantes ſe in angelos lucis, vt multos, eheu, & nimiũ multos Chriſtianæ fidei alumnos, in ſuæ perfidiæ naſſam illexerint: timen-

dumq́ue eſt, ne ſicut olim Euam aſtutia ſua ſeduxit ſerpens primus ille diaboli miniſter, ita & per nouos hos ſerpentes, reliquorum Chriſtianorum ſenſus à ſimplicitate fidei quæ eſt in Chriſto Ieſu, ſeducant atque corrumpant, ſicq́ue ad eorum perniciem graſſentur & ſæuiant. Ego certè ſimpliciorũ quorumcunque qui ab illis inficiuntur & ſeducuntur, ruinam ſortemq́ue miſeratus, librum edideram vernacula noſtra lingua, Gallica ſcilicet, in fidei catholicę defenſionem conſcriptum, quo aſtus & ſtratagemata, quibus vſi, tot in Gallia mortales à ſanctiſſima patrũ noſtrorum fide abductos & auulſos, vt ſuos amplecterentur errores, miſeramq́ue Galliam ſuis cladibus nobilẽ afflixerant, acerbiſſimeq́ue vexauerãt, ac in hodiernam vſque diem crudeliter vexãt, accuratè detegebam, & cunctis tanquam in ſpeculo conſpicienda proponebam, ſimpliciores quoſq; admonens & adhortans, vt ab eorũ fraudibus

dibus, dolis, inſidiis, tanquam à præſentiſſimo veneno ſibi diligenter cauerent, adhærendo firma & inconcuſſa fide Eccleſiæ Catholicæ, doctrinæque patrum ſuorum veſtigiis inſiſtendo. Non inanem autem fuiſſe hunc noſtrum laborem, ſed multum iis vtilitatis attuliſſe, in quorum gratiam à me ſuſceptus fuerat, intelligens, videnſque etiam apud exteras nationes eoſdem diaboli miniſtros, iiſdẽ artibus & fraudibus ad populi Chriſtiani cladẽ perniciemque graſſari (in viſitandis enim religionis noſtræ Franciſcanæ prouinciis curæ noſtræ concreditis, id cum magno animi mei dolore vidiſſe licuit) operæprecium me facturum exiſtimaui, ſi in latinam quoque linguam verſus noſter ille liber ad exterorum manus perueniret; ab eiſque legi intelligique poſſet. Quod qua potuimus diligentia factum cùm eſſet, elegantiſſimis Plantini typis, diligentiſſimi noſtri ſæculi & fideliſſimi typographi, Antuer-

piæ excudendũ tradidimus. Cùm autẽ antequam prodiret in lucem, cum tot, & tam horrendis monſtris, atque portentis pugnaturus, prouidendum illi eſſet de patrono & protectore, ſub cuius fauore tutò poſſet in arenã deſcendere, nullus occurrebat cui tutiùs aut iuſtiùs dedicari deberet, quàm tu Philippe Rex, tu, inquam, Catholice Rex, qui hæreditario iure Catholici nomen à Maioribus acceptum, ita operibus ſuſtinuiſti, Catholicam fidem propugnando, promouendo, propagando, augendo, vt non ſit neq; fuerit aliquando rex aliquis Chriſtianus, cui iuſtiùs tam honorifica denominatio debeatur. Per te enim innumeri populi, barbaræ nationes & idololatræ in vaſtiſſimis illis Indiæ Occidẽtalis regnis ſuaui Chriſti iugo colla ſubmiſere, atque in regnum eius aſciti Catholicam fidem conſtanter palamque hodie profitentur. Tu immenſas tuas opes & vires omnes in propugnanda Catholica fide ſem-

ſemper expendiſti; tu Remp. Chriſtianam cùm aduerſus immanem Turcarum vim ac potentiam, tum aduerſus fraudulentos hæreticorum conatus inſidiaſque ſæuitiæ crudelitatiſque pleniſſimas, non ſolùm armis tuis hactenus copiiſque texiſti, verùm etiam hodie ita protegis atque defendis, vt inter arma circumſonantia diu multumque vexata & exagitata ſub tuis ſignis acquieſcere, &, vt ita dixerim, reſpirare videatur. Tu innumeras victorias ex hoſtibus Chriſti, rebus ſemper præclarè feliciterque geſtis, reportaſti: fecitque tibi Deus nomen adeò magnum, vt te Oriens Occidénſque ſimul admiretur, & vel audito tantùm Philippi nomine contremiſcat, gelidúſq; percurrat eorũ oſſa timor. Quid de religione & pietate tua cęteriſq; virtutibus dicã, quibus Catholicũ nomẽ ornaſti ſemper & decoraſti? In tuas laudes excurrere licet velim & optẽ, tamẽ id nõ permittit epiſtolaris breuitas, neq; Chriſtiana tua mo-

 deſtia,

ſtia, omnia Deo accepta referẽs, eas audire ſuſtineret. Certè hiſtoriographis tam amplam ſcribendi materiam dediſti, vt nullus ſit adeò eloquens & facundus, qui res à te præclarè & piè geſtas, vlla poſſit oratione aſſequi. Hoc vnum non tacebo, ne ſceleris arguar vt ingratus, te totam noſtram Franciſcanã religionem ita tibi demeruiſſe, tot in eius profeſſores collatis beneficiis, tot pietatis & liberalitatis argumentis animi tui erga eos propenſionem teſtatus, vt non ſolùm nos tibi deuinxiſſe, ſed etiam oppreſſiſſe tua liberalitate videaris. Quid de meipſo dicam? tanta enim cum humanitate & liberalitate me excepiſti & fouiſti, cùm religionis noſtræ prouincias in tuis Hiſpaniarum regnis conſtitutas viſitarem, vt me vel agendis tantùm gratiis Catholicæ tuæ Maieſtati imparem eſſe agnoſcam. Certè dediticium ſibi ſeruum me ſemper habitura eſt, dum ſpiritus hos reget artus. nõ modò tuarum virtutum celebrare prę-

conia

conia, laudéſq; omnium gentium linguis literíſq; digniſſimas in cælum ferre non deſinam, verùm etiam pro illius incolumitate & proſperitate totiúſque ſui ſtatus conſeruatione preces ad Dominum ſemper & vbique fuſurus, ſubditos mihi fratres vt idem faciant, accuratiſſimè cohortabor. Interim autẽ teſtatum volui per huius noſtri libri C. M. T. dedicationem quantum me illi debere intelligam, quàm ex animo illi bene velim, quanto in eam voluntatis ardore propẽdeam, quàm prompto hilaríque animo quacumq; ſeſe offerente occaſione illius me ſeruitio dedicarem. Meum certè laborẽ populis in Gallia, Belgica, inferioríq; Germania C. M. T. ſubditis, quos iiſdem artibus & ſtratagematis à Dei Eccleſię, Regíſq; ſui obedientia ſeducere conantur miniſtri diaboli, quibus cõiurationis ſuæ ſocij Gallis noſtris impoſuêre, nõ inutilem fore exiſtimo. O quã eſſent felices, ſi noſtris malis & periculis diſcerẽt eſſe cau-

ti, viderént'q; anguem in herba blandiloquentiæ eiuſmodi impoſtorum delitescẽtem, qui duplicem illis mortem corporis, ſcilicet, & animæ allaturus eſt, ſi eos vel momorderit, vel afflatu ſuo venenoſo infecerit. Oratam autem velim C.T.M. manuſculum hoc quod tenuis, curtáq; noſtra ſupellex ſibi offert, grato animo recipiat, librum & auctorem potenti & benigno ſuo fauore tueatur, ac protegat, méque in ſuorum ſibíq; deditiſſimorum ſeruorum albo numerare dignetur. Deum Opt. Max. precor, vt eã nobis, Eccleſiæq́; ſuæ incolumem in Neſtoreos annos ſeruare dignetur. Antuerpiæ Kalend. Sept. 1574.

Catholicæ Sacræq́; ſuæ Maieſtatis ſeruus humillimus

Fr. Chriſtoph. de Capite Fontium totius Ordinis Sancti Franciſci de obſeruantia Generalis Miniſter indignus.

AD

AD PIVM LECTOREM ADMONITIO.

AMICE *Lector, antea quã ad huius mei libri lectionẽ accedas, admonere te volui: vt ſi quando, præſertim in primo capite, deprehenderis me dicentem, cum hæreticis expreſſo tantùm Dei verbo me agere velle, non id ita dictum accipias, quaſi diuinas traditiones (quas parem cum diuinis ſcripturis auctoritatem habere cõfiteor) reiicere velim, aut quaſi patrũ Eccleſiæ doctrinas vel Conciliorum ſanctiſsima decreta in minori pretio habeam. quæ omnia ita recipio & in eo loco habeo, quem Eccleſia Catholica Romana, Chriſti vnica ſponſa, columna & veritatis fundamentum, illis concedit. Quod autem id dixerim, facit hæreticorum extrema impudentia & temeraria audacia; qua hæc omnia reiiciunt atque aſpernantur, ad ſolum Dei verbum appellantes. Quos vt vel ipſo expreſſo Dei verbo*

confutatos eſſe oſtendam, iccirco dico me verbo Dei tantùm expreſſo agere cum ipſis velle. Hac cautione præuentus librum hunc legere poteris. Cuius doctrinam non dubito tibi probandam, ſi animo candido de ipſa iudicium facere volueris. Vale.

APE-

APERIEBAT OS SVVM

FR. IOCHANNES BENEDICTVS prouinciæ Turoniæ Pictauien. Franciſcanus, ac Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis Secretarius, excellentiam & Auctoris & libri in hac חשירה decantans.

Adhortatur animā ſuam ad euoluendum hūc librum.

עורי נפשי שימי לבך   לשמוע דברי זה ספר
תֶהגֶה בו יום וָלילה   כי יש בו בינה מִסַפֵר :

Caput Fontiū.

נַשקִי האיש שנקרא ראש   עינות כן ממקור ישראל
תשאב המִים עֶלְיוֹנִית   שבהן רעת נחל אל :

Ciſternæ hæreticorum diſſipatæ.

ברחו נפשו מבארות נִשְ־   רִים מבארות הכופרים
כי חמה כל אנשי בוגרות   גם פועלי אָוֶן ושקרים :

Lege hîc tui excidium Galliæ.

צרפַת פה תקרא את מרמות   גוי שנתץ מִקְדָשֵׁיךָ
תשמוע פה רע רבת   שעשו. סוררים לִבְנֵיךָ

O Italia & Hiſpania cauere vobis exemplo Galliæ ſororis veſtræ o doctæ.

כִתִּים גם תובל הִזָהרו   פן תִפלנה בִידֵי אויבים
כאשר בת עַמִי שנחלה   עד רֹאש מֵאת הגנבים :
מי יַגִיד חכמת מושְלֵנו   גם מי כחו כולל יִהיה

Ἐγκώμιον auctoris.

לא יִכבה זוהר זִכרונו   ושמו על דור דורים יחית:

Apoſtrophe ad Franciſcaná familiam, vt gaudeat paſtorem ſe habere Gallum.

זֶרע הקרמון כַבֵר את־   אביך לאמור עם תֻפִים
בֹרוך שיצא מצרפַת   לְכַלון על שבט חשרפים:

בכלך

EA-

EADEM LATINA POESI ADVMBRATA.

ERIGE *mens grauido tete peruincta*
ſopore,
Huius & exaudi dulcia verba libri.
Atque in eo noctu, noctu meditare diúque;
Arcanis ſophiæ dotibus ille ſcatet.
Oſcula Chriſtophoro, non vnum, figito mille,
Fontium enim meritò creditur eſſe caput.
Atque ita fontanis, quas prompſerit Iſrael, vndis,
Potabis magni ſcire perenne Dei.
Heu fuge ciſternas, ciſternas αἱρεσιώτων,
O mens Εὐρίπους *effuge* ψευδολόγους.
Gallia cerne libro tua στραταγήματα *in iſto,*
Quæ peperit patriæ gens inimica ſuæ:
Quæ ſacra vaſtauit rabido delubra furore,
Intulit & natis quàm mala multa ſuis.
Auſoniæ fines, caueat ſibi Bœtica tellus,
Ne tam nō fauſtas experiatur aueis.
Vt miſeranda iacet veteri ſpoliata triumpho

Gallia

Gallia, latronum iam quoque facta domus.
Quis proferre poteſt multò digniſsime Præſul,
Ecquis virtutes enumerare tuas?
Splendida fama cadet nullos prouecta per annos,
Gloria venturæ poſteritatis erit.
Gaude progenies Franciſci noſtra beati;
Gaude cæleſtis firma columna domus.
Dic, Benedicte veni Præſul, quem Gallia nobis,
Quo Seraphina domus ſit moderanda, dedit.

TABV-

TABVLA CAPITVM IN HOC OPERE CONTENTORVM.

CAP. PRIMVM. Quòd hæreticorum ſcopus eſt, fidem maiorum tãquam falſam cõdemnare, propterea quòd verum Chriſti corpus in Euchariſtiæ Sacramento eſſe credebant, deinde ipſos idololatriæ & cõſequẽter æternis ſuppliciis obnoxios damnare, quia Chriſtum in eodem diuino Sacramento adorabant. fol. 1

CAP. 2. Quàm turpis, inhoneſta & iniqua ſit hæreticorũ cauſa, propterea quòd ſuos patres maioresq́; nefariè oppugnant. 53

CAP. 3. De iniquitate cauſæ hæreticorum, qui & Chriſti ſolius viuorum & mortuorum iudicis, & ſummorũ Pontificum in Eccleſiaſticis controuerſiis iudicum officium ſibi arrogant & vſurpant. 77

CAP. 4. De hæreticorum ſtudio, quo vt Chriſtianos fallerent, cauſæ fidei cogni-

cognitionẽ Theologis, legitimis iudicibus ab Eccleſia conſtitutis, auferunt, eamq́ue cuilibet alteri è vulgo diuerſę profeſſionis tradunt, tametſi de illa iudicare non aliorum, quàm Theologorum officium eſt. 90
CAP. 5. Libros hæreticorum, aut Biblia ab iis in vulgarem linguam conuerſa, non ideò ab Eccleſia interdicta, vt Chriſtianis Euangelium celaretur. 121
CAP. 6. Quanta calliditate hæretici principes, alioſq́ue non Theologos, cauſæ ſuæ iudices ſe admittere ſimulant, vt Eccleſiæ Romanæ ac Conciliorum generalium & Theologorũ iudicium ſubterfugiant. 151
CAP. 7. De aduerſariorum dolis, quibus populum, quem iudicem elegerant, circumuenerunt, vt contra ſuos maiores inauditos ſententiam ferret. 96
CAP. 8. De axiomatibus ſiue propoſitionibus falſis ac ridiculis, quas aduer-

aduerſarij fabricant, nobiſq; ac maioribus noſtris aſcribunt,& de falſorum iudicũ ſuorum temeritate qua illis leuiter credunt. 210
Cap. 9. Quòd aduerſariorum iudices ad intelligendam bonam maiorum ſuorum cauſam, antequam eos damnent, non ſatis temporis ſumunt. 218
Cap. 10. Quòd iſti inepti iudices aduerſariis vſq; adeò ſeſe dedunt, vt ad maiores ſuos condemnandos nullum iá niſi illos audire ſuſtineant. 237
Cap. 11. De aduerſariorum ſtudio, quo totis viribus elaborant, vt in eos qui maiorum ſuorum fidem defendunt, iudices ſuos falſos incitent & inflamment, & de illorum iudicum impia temeritate, qua omnis æquitatis ac rationis immemores, ſeſe contra veritatis patronos in implacabile odium abripi ſuſtinent. 248
Cap. 12. Quòd aduerſariorum iudices ab illis ſollicitati maiorum ſuorũ patronis liberam audientiam denegarunt,

garunt, immò ad eos interficiendos arma ceperunt. 296
CAP. 13. De doctrinæ aduerſariorum cum ſuorum falſorum iudicum cupiditate conueniētia, quæ tantum in iis illius doctrinæ amorem accendit, vt de maiorum ſuorum religione & fide iam audire nolint. 309
CAP. 14. De iſtorum falſorum iudicum iniquitate, qua maiorum ſuorū fidem propter poſteritatis peccata cōdemnant, tametſi maiores in cauſa non ſint, cur eorum poſteri peccent maleque viuant. 331
CAP. 15. Quicquid in Auctoris vitam aduerſarij dixerint, ex eo ad maiorū noſtrorum fidei cōdemnationem nihil inferri poſſe, oſtenditur. 355

APPRO-

APPROBATIO OPERIS.

DOCTRINAM *huius libri ſumma cum attentione percurri: ac tandem deprehendi, ipſam eſſe catholicam, ſanam & quæ hæreticorum noſtri ſæculi peſtilentes errores grauiter confutat, eorumque falſas doctrinas euertit. Ac proinde librum hunc digniſſimum eſſe iudico, qui, in publicam Catholicorum vtilitatem, typis mandetur.*

Frat. Laurentius
à Villauicentio.

QVOD HÆRETICORVM SCOPVS EST, FIDEM MAIORVM, TANQVAM

falſam cōdemnare, propterea quòd verū Chriſti corpus in Euchariſtiæ Sacramēto eſſe credebant; deinde ipſos idololatriæ & cōſequenter æternis ſuppliciis obnoxios, damnare, quia Chriſtum in eodem diuino Sacramento adorabant.

CAPVT. I.

COGITANTI mihi, amice lector, ac ſæpenumero apud me preſſiùs conſideranti, quorſum iſtius noui euāgelij aſſertorum ſtudia tenderent, conſiliáque ferrentur, qui (vti omnium ſæculorū hæreticis, ſpecioſi alicuius nominis titulo fucare mendacium, lupúmque rapacem ſub ouina pelle cælare mos fuit) Euágelici quàm Chriſtiani dici maluerunt, tandem venit in mentem quid eos ad huiuſmodi facinus impellat, & quò effrenata eorum rapiatur audacia, cùm Eccleſiæ Romanæ fidem ab illis in baptiſmo ſuſceptam, & ante eorum tempora, tanquā Catholicam (ſicut eſt) toto terrarum orbe diffuſam, ac ſupra petram, Chriſti voce fundatam, tanto conatu oppugnantes, euertere moliuntur. Neque enim, ſi verum di-

cendum eſt, ſacrilega eorum factio & immanis impietas aliud ſibi propoſitum habet, quàm vt noſtros ſuóſque maiores ad extremum erroris idololatrięque condemnent,ac
Apoc. 22. proinde ſuppliciis æternis addicant, quibus iuxta ſacræ ſcripturæ ſententiam,omnes idolis ſeruientes, & amantes facientéſque mendacium, quales ſuos noſtroſq; maiores fuiſſe contendunt, iure plectuntur. Omnes itaque ſanctos doctores Eccleſiæq; magiſtros,omnes Martyres, Confeſſores, Anachoretas, alioſq; Dei ſeruos, qui quondam ſanctitatis, atque doctrinæ laudibus excellentes, in Dei Eccleſia floruerunt, omnes ſummos Pontifices, Cardinales, Epiſcopos,Patriarchas,Prælatos, Abbates, Rectores, Presbyteros, Monachos, denique quotquot ab Apoſtolorum temporibus, vſque ad iſtorum ætatem, Eccleſiæ gubernaculis præſidẽtes,Chriſti oues verbi Dei pabulo ſaginarũt,omnes denique Imperatores,Reges,Principes, Duces,Comites,alioſq; omnes tum nobiles, tum ignobiles,negociatores,ciues, ruſticos, agricolas, omnẽ ſexum, omnem ordinẽ; denique omnes qui à ſanctis antiquę Eccleſię doctoribus atque paſtoribus, in eadẽ,qua & nos imbuti ſumus fide inſtructi fuerunt, vna ſententia eadẽmque temeritate condemnant. Qui omnes,vt iſtis placet, cæcis erroris ac ignorantiæ tenebris inuoluti,
miſeré-

miſeréque decepti fuerunt, aut certè ſi veritatis lumen aliquando viderunt, illam propter ventrẽ, auaritiam, turpémque quæſtum, adulteratam ſuis inuentis, ac humanis traditionibus prodiderunt. Quod ſic dicunt & ſentiunt, ac ſi ante eos nemo vllum Dei donum, aut ſpiritũ habuiſſet; nemo eruditione atque doctrina excelluiſſet; nemo denique Euangelium aliáſque ſcripturas intellexiſſet, aut certè, ac ſi nullus vſpiam gẽtium probus extitiſſet, cui bona conſcientia & veritas cordi eſſet, quem ſuæ ſalutis cura, aut catholicæ fidei amor tangeret, qui hanc incorruptam integrámque ſeruare, hanc publicè confiteri, hanc defendere auderet: denique qui hanc ab infidelibus, aliiſque Chriſtiani nominis hoſtibus impugnatam, etiam quouis periculo contempto atque calcato, aſſerere ſuſtineret. Omitto quot ſuperioribus ſæculis Chriſtiani fuerint, vſque adeò fidei Chriſti zelo & ardore accenſi, vt propter illius defenſionem, non ſolùm omnes huius vitæ voluptates & illecebras abdicarent, verum etiam intrepido atque inuicto animo ſanguinẽ funderent. Quos tamen iſti non pluris æſtimant, quàm nos, quorum cùm ſimus heredes, eorum fidem atque doctrinam nobis à maioribus per manus traditam ſequimur, inuiolatámque retinemus.

Sed ad huiuſmodi iudicium ferendum duæ pręcipuæ cauſæ aduerſarios mouẽt: vna, quòd verum Chriſti corpus carnem, ſanguinem & oſſa in Euchariſtiæ ſacramẽto re vera adeſſe crediderunt: altera, quòd Dominum & Deum noſtrum IESVM CHRISTVM, in hoc auguſtiſſimo ſacramento adorarunt, vnde eos omnes erraſſe, hæreticos, incredulos, idololatras, ac proindè æternis ſuppliciis damnatos fuiſſe contendunt. Deus enim & ſi optimus ac clementiſſimus ſit, tamen (inquiunt iſti) eos omnes, quamtumuis probi atque integri fuerint, quaſcunque preces & obſecrationes, ad impetrãdam diuini nominis ac fidei catholicæ veram cognitionem, ad obtinendam ſancti ſpiritus gratiam, ad ſacræ ſcripturæ intelligentiam conſequendam fecerũt, omnes, inquam, ab eccleſiæ naſcentis exordio, vſque ad hanc noſtram miſerabilem ætatem reiecit ac reſpuit. Nunc autem iſti ſoli, quia nihil quod Deo gratum ſit faciunt, illi adeò grati, & accepti fuerunt, vt vel vnius Maroniani hymni feſtiuo cantu, ab eo impetrauerint, quod amicis ſuis omnibus, ſuis ſeruis, ſuorum præceptorum obſeruatoribus, ſanctis Eccleſiæ patribus atque doctoribus, tam crudeliter ac pertinaciter denegarat. Qui omnes (vt iſti aiunt) in denſiſſimis ignorantiæ & idololatriæ tenebris derelicti

fuerunt, vt ſingulari munere, ac perſonarum acceptatione, quam Apoſtoli Petrus & Paulus, in Deo eſſe negant, quicquid boni, veri, Act. 10. eximij chariſmatis eſſet, iſtis ſolis, tanquam Rom. 2. intimis amicis, ſuiſque deliciis reſeruatum, diuina munificentia indulgentiſſimè largiretur. Hoc igitur perſuaſum habentes, omnes qui vnquam fuerunt, & ſunt, toto Chriſtiano orbe diffuſi, præter ſe ſolos, à Deo fuiſſe contẽptos ac repulſam paſſos, nec eius promiſſa exaudiendi ſuorum preces, ſanctúmque ſpiritum petentibus dandi, ad vllos alios, quàm ad ſe ſolos pertinere credẽtes, in tantum gloriæ faſtigium ſublati ſunt, tantum fiduciæ de ſuo ſpiritu ſuáque doctrina ſibi arrogant, tantos ſpiritus ſumunt, vt reliquos omnes præ ſe nihili faciant. Itaque importuna quadam, ac ſumma ferocitate ſubnixi, omnem antiquitatẽ ſuóſque maiores cõtemnunt, deteſtantur, oderũt: eóſque omnes mille maledictis ac blaſphemiis laceratos, totius pietatis obliti, vna ſentẽtia eodémque furore condemnãt. Neque tamen hic quieſcit impietas, ſed vlterius in nos Catholicos effrenato furore graſſatur. Nam quia pari temeritate, imò rabie venerabilem maiorum noſtrorum memoriam condemnare nolumus, vt pro iis iuuenculos neſcio quos magiſtros, ac concionatores, imò impoſtores, qui ſine legitima

vocatione, in verbi miniſterium irruerunt, ſuſcipiamus, quia iſtorum nouatorum (qui orbem reformare, imò eliquare, nouámque legem ac fidem ſæpe recoctam, ſeneſcenti mundo, peritiſſimi ſcilicet architecti obtrudere cupiũt) ſtulta ſomnia pro veritate complecti, & adorare non ſuſtinemus, in nos quoque iſtorum rabies ſæua bacchatur. Quid enim aliud eorum in inſontes furorem armauit, niſi quòd iis ſanctos maiores noſtros & antiquos eccleſiæ doctores anteponimus? Quorum quia fidem ſequimur, doctrinámque conſtanter retinemus, exiſtimantes eos non ſolùm eruditione ſuperiores, verũ etiam virtute ac pietate iſtis eſſe præſtãtiores, ſuam in nos rabiem euomere geſtiunt. Nos cum maioribus noſtris tanquã impoſtores, hæreticos, idololatras, incredulos, ac proinde non modò tẽporali, ſed etiam æternæ morti obnoxios condemnant. Quid? nonne in ſuo conſiſtorio, nos inauditos, morte ac bonorũ omnium proſcriptione damnarunt? nonne templa noſtra, & Eccleſias diuino cultui dedicatas, omniáque alia ſacra & prophana nobis à maioribus relicta, ſibi diripienda adiudicarunt? Attamen ne ſuſpicaremur illos, ad odium, quod contra nos iniuria conceperant, aut ad inſatiabilem cupiditatẽ ſuam explendam, legem hanc, nouamq; doctrinam, ex-

Ironice accipiendum.

cogitaſſe:

cogitaſſe: ſe ipſos priuata auctoritate, miniſtros carnificéſque conſtituerunt, qui tam inhumanam atrocémque ſententiam executioni mandarent. Et cùm abſque legitimi iudicis, aut magiſtratus imperio, vſus gladij interdictus ſit, ita, vt qui iniuſſi vtuntur, homicidij ac latrocinij crimen incurrant, cuius auctoritatem, cuius imperium, aduerſarij ſibi expectandum eſſe duxerunt? Cõtempto igitur & calcato Dei verbo; Non occides: ſpreta Apo.20.
Domini ſentẽtia dicentis; Omnis qui gladio Mat. 26.
percuſſerit, gladio peribit; contra nos quondam ſuos fratres, ſuos ciues, ſuos conſeruos, eidem Regi dominóque ſubiectos, cui iuxta Apoſtoli ſententiã, ipſi æquè, atque nos ho- Rom.13.
norem obedientiamq; debebant, contra omnes leges diuinas, & humanas, hoſtilia arma induerunt. Ita Euangelij philanthropi, ac mitis CHRISTI IESV, & Apoſtolorum eius obliti, & aliud ſuis affectibus ſimile commenti Euangelium, quo nihil vnquã crudelius, nihil tetrius, terribilius, furioſius, auarius, atrocius, minimè ſibi ceſſandum, aut procraſtinandum eſſe duxerunt. Omnes igitur humanitatis limites prętergreſſi, atrocem illam crudelémque ſententiam, per totam Galliam aliáſque orbis Chriſtiani prouincias, in quibus eorum vis atque arma valuerunt, tanta inhumanitate, furore, rabie, executi

ſunt, vt omnes Pharaones, Nerones, aliáque omnia huiuſcemodi monſtra inhumanitate ſuperarint. Cuius rei, ante CHRISTI IESV, viuorum ac mortuorum iuſti iudicis tribunal, teſtimonium feret clamor innoxij ſanguinis ſanctorum, ab iis crudeliſſimè trucidatorum, qui ex illorum impuris ac ſacrilegis manibus adhuc ſtillans, in truculentiſſimos parricidas diuinā prouocat vltionem. Poſteritati autem, ſeríſque nepotibus, Poëtæ & Hiſtoriæ Tragœdiæque ſcriptores, quales lachrymas elicient, cùm illi legent, quas in huiuſmodi theatro euágeliſtæ ſæculi noſtri alienam ſimplicium & innocentium ouium CHRISTI, vt lupinam crudelitatē ſub ouina pelle cælarent, perſonā induti, tragœdias egerint: nec dubium, quin triſtes noſtrorum poëtarūm verſus, ex oculis ſuorum lectorum feruidas lachrymas educent, cùm illi legent, quàm tetrum & atrox euangelium, in locum illius humani ac mitis euangelij CHRISTI IESV excogitatum fuerit, & quàm acres mortiferóſque fructus protulerit. Ad hęc noſtra templa & altaria ſolo æquata & direpta, fidem aduerſus illos poſteritati facient, illorum inhumanitatem ſęuitiámque coarguēt, quą in nos debacchati ſunt, capitalem ſententiam, quam in inſontes impiè tulerant, crudeliter exequentes, quòd maiorum noſtrorum

Diſsimile

ſtrorum fidem conſtanter retinemus, quòd ſanctis patribus noſtris potius, quàm illorum magiſtris credimus, quòd de ſententia vnius aut alterius apoſtatæ, qui ſe ſpiritũ ſanctum tot ſæculis ſomno tenebríſque obrutum & latentem, nunc demum inueniſſe gloriãtur, ita leuiter atq; ipſi fidem mutare noluimus. Porro, qui hoc vnum illis fuiſſe propoſitum, ad hoc illorũ conſilia omnia, ſæuóſque conatus tendere, non videt, valde cæcus eſt. Diſſimulent illi ſanè, vt libet, illorũ tamen oratio, ſcripta, mores, inſtituta, ipſumque vitæ genus, veteris Eccleſiæ patrum inſtitutis ſanctiſſimíſque moribus, nulla ex parte reſpondẽs, immo cum his è diametro pugnãs, quod dicimus, euidenter oſtendit & probat. Nam, ſi ſacræ & eccleſiaſticæ legantur hiſtoriæ, ſi geſta ſanctorum patrum, ſi monimenta doctorum eccleſiæ, ſi Chriſtianorũ Cæſarum, ſi Chriſtianiſſimorum Gallię Regum recitẽtur annales (quorum in clariſſima domo, in argumentum veritatis, & incorruptæ fidei, munus ac vis curãdi per manuum impoſitionem ægrotos, vſque in hodiernum diem perſeuerat. Vnde Dominus in Euangelio oſtendens, & deſignans eos, qui fidẽ Apoſtolicam ſuſcepiſſent, dicebat: Super ęgros manus imponent, & bene habebunt.) Si catholicorum Hiſpaniæ, ſi Luſitaniæ, Angliæ, Scotiæ, Po- Marci. 16.

A 5 loniæ,

loniæ, aliorúmque Regum Chriſtianorum producatur ac recitetur hiſtoria, num ex his vnus aliquis ante iſtorum pſeudopropheta-rum aduẽtum, Luteranus, Caluiniſta, Oecolampadianus, Melanchthonianus, aut Anabaptiſta fuiſſe? num vnus aliquis ab incorrupta ſanctáque maiorum ſuorum fide degeneraſſe, aut in aliam opinionem diuerſamq́ue ſententiam abductus eſſe reperietur? Minimè verò. Tam conſtans fuit omnium, qui toto Chriſtiano orbe regnarunt, in retinenda catholica fide, tuendáq; vera Religione ſententia, vt ante iſtorum aduentum, qui pro æterna Chriſtianæ fidei veritate, nouam neſcio quam nobis ingerunt, & obtrudũt, huic ſimilem nullus vnquam habuerit.

Conferte igitur fidem, doctrinam, vitam, mores, inſtituta maiorum, cum his quæ nouatores iſti eorúmque diſcipuli, aduerſarij noſtri habẽt, nullam omnino ſimilitudinem aut comparationẽ, ſed tantam diſſimilitudinem, tantúmque diſcrimen reperietis, vt magis quàm δὶς διὰ πασῶν inter ſe diſcrepare videatur. Antiquos ſiquidẽ eccleſiæ magiſtros eorumq́, diſcipulos memoriæ proditum eſt, eandem ſeruaſſe fidem, quam nos quoque profitemur; illos fuiſſe aut in ſacerdotij gradu ac dignitate, qui Miſſæ ſacrificium celebrarent; aut ſi ſacerdotij honore ſublimati

δὶς διὰ πασῶν.

non

non eſſent, Miſſæ deuoti intererant, eámque cum maxima reuerentia frequentabant. Et vt de maioribus noſtris Chriſtianis omnibus generatim agamus, quis neſciat, eos per Quadrageſimam, alióſque vigiliarum ac quatuor temporũ ſtatutos dies ſolicitè ieiunaſſe, peccatorum ſuorum exomologeſim ad ſacerdotis genua aduolutos, facere conſueuiſſe, ad iram Dei mitigandam, fletibus, planctibus, ieiuniis, aliiſque bonis operibus incubuiſſe? Illi ſanctorũ ac beatorum memoriã ſummo honore colere, illi pro defunctis orare, illi Eccleſias frequẽtare, eas extruere, extructas de ſuis facultatibus ornare conſueuerant. Quid reliqua enumerem? Illi verum CHRISTI corpus in Euchariſtiæ ſacramento verè ac realiter adeſſe credebant, & CHRISTVM Dominum in illo auguſtiſſimo ſacramento deuoti adorabant, illi ſummis Pontificibus, Epiſcopis, præpoſitis, omnique alij magiſtratui, non ſolum Eccleſiaſtico, ſed etiã ciuili, (vt par erat, & cuiuſque poſtulabat auctoritas,) promptè obtemperabant: nec quiſquam erat, qui aut Romanã Eccleſiam omnium matricem ſupremã, aut Romanum Pontificem Apoſtoli Petri legitimum ſucceſſorem, ſummúmque ſub CHRISTO capite ouium eius paſtorẽ eſſe dubitaret. Quis referat quo animo & conciliis œcumenicis, eorum

Chriſtianorũ mores & vita.

eorum canonibus, aliiſque matris Eccleſiæ decretis parebant? & homicidia,direptiones, deprædationes, furta, ſacrilegia, aliáque id genus omnia deteſtari ſolebāt? Et (vt paucis multa perſtringam) de articulis hodie controuerſis,quique ab aduerſariis vocantur indubium,idem omnino ſentiebant,idem credebant, quod nos etiamnum ſentimus & credimus; eandem fidem conſtanter retinebant, quā & ipſi aduerſarij in baptiſmo amplexi, ſacramento quoque ac ſolemni voto, ſe ad vltimum ſpiritum retenturos eſſe, publicè receperūt, ſed pòſt impiè reiecerunt, ac nefariè prodiderunt. Laudabant igitur illi bonúmque dicebant, quod iſti malum eſſe contendunt; vituperabant, quod iſti laude dignum putant. Ita illorum fides, cum iſtorum noua ſecta, quam pro vero ac legitimo CHRISTI euangelio nobis obtrudūt,planè pugnat, nec vlla ratione conciliari poteſt. Quæ enim eſt (vt diuus Paulus inquit) ſocietas lucis ad tenebras,& cōuentio CHRISTI ad Belial? quaſi dicat,nulla vnquam conuentio excogitari poterit.

Quiſquis igitur illorum vitam moréſque conſpexit ac ſcripta legit, fateri cogitur, aut ſanctos illos patres maioreſq; noſtros omnes ac fidei magiſtros vanis erroribus,atque mēdaciis fuiſſe deceptos, aut certę iſtos (ita vti ſe

res habet) à recto veritatis, ac vitæ tramite aberrare. Ex hoc igitur fonte, omnis inter nos & illos controuerſia manat ac profluit. Et ſanè illi ſumpta cenſoria virgula, pro ſe ſententiam ferunt, impotentiſſimè gloriantes, ſe ſolos veritatis lumen & diuini ſpiritus donum adeptos, intellexiſſe ſcripturas, Euangelium tot ſæculis obſcuratum & abſconditum inueniſſe, quod doctores noſtri catholici, vel falſo (vt aiunt iſti) errore decepti, vel aliis imponentes, pro ſuo arbitrio, aut certè ob inſatiabilem cupiditatem viciauerant, verámque Euangelij lucem è medio tollentes, doctrinæ CHRISTI puritatem, impiè nefarieque corruperant. *Hæreticorum ſuperbia.*

Nos verò contrà & ſentimus, & dicimus, ſanctos patres maioréſque noſtros Chriſtianam Religionem ſanctè coluiſſe, Dei ſeruos fideles fuiſſe, vſque ad vltimum ſpiritum CHRISTO fidem illibatam ſincerámque ſeruaſſe, ſacram rectè intellexiſſe ſcripturam, à Deo in ſuis precibus auditos fuiſſe. qui cum probi, pij, religioſi eſſent, neminem mendacio fallente decipere, nemini imponere ſuſtinerent, præſertim in negocio fidei, ex qua vniuſcuiuſque ſalutem pẽdere ſciebant. Sed quoniam maiorum noſtrorum cauſam defendimus, nec iſtorum magiſtris, qui ſe cæteris doctiores, meliores, ſanctiores, Deo chariores *De ſanctis patribus quid ſentiendum.*

riores

riores eſſe gloriantur, facilè aſſentimur, moleſtè ferunt aduerſarij, nos oderũt cane peius & angue, mortem nobis intentant, cui iam pridem nos adiudicarunt; funeſtámque ſententiam exequentes, in clariſſima luce plurimos ex noſtris crudeliſſimè trucidarunt.

Hæreticorum odium.

En amice lector præcipuus noſtrę controuerſiæ ſtatus, en vbi totius cauſæ cardo verſatur, in quo quęritur, Vtrum maiores noſtri, Chriſtiani & Deo fideles fuerint, nec ne? Vtrum ij ſacram ſcripturam rectè intellexerint, nec ne; vtrum veritatem ſaluti neceſſariam cognouerint, necne; vtrum in ea fide quam profeſſi ſunt, ſeruati ſint; an verò in ęternum perierint? ad hæc vtrum nos eorum filij illorum fidem ac vitam imitantes, ſaluari poſſimus, nec ne? Inſiſtẽdum eſt huic controuerſiæ, vt indagata veritate, quam in partem inclinet victoria, poſſit intelligi, nec quicquam in tam graui cauſa temere & improuidè, aut dicatur, aut fiat. Te autem obteſtor, Chriſtiane lector, ſi quid in te pietatis, aut prudentiæ eſt, ſi quis amor æquitatis ac iuſtitiæ, ne tuos noſtróſque maiores ita leuiter (vt iſti fecere) condemnes. Audi, vide, lege, diſcute cauſam illorum, ſit illis Apologiæ ac defenſionis locus, ſi qua in te recti iudicij ſcintilla relicta eſt, non eſt dubium, quin rem hanc totam (vti diximus,) diligenter ex-

Huius operis ſcopus oſtenditur.

Pia authoris obteſtatio.

ter expendens, quàm ſit iniqua, crudelis, temeraria ſententia damnationis ad interitum ſempiternū,quam accuſatores eorum,ac filij in eos impiè tulerunt, clarè perſpicies.

Quod autem erat officij mei,cùm aduerſarios intelligerem, iniquitatem impiæ ſententię ſuæ ita fucare,vt pleriſq; ſui ſimilibus ac temerariis, iuſta rationique conſentanea videatur, adeò vt in ſuam ſectam nonnullos minus cautos, quotidie pertrahant, iiſque perſuadeant, vt & ſuam hæreſim tueantur, & maiorum noſtrorum fidem, ipſamq; matrem & noſtram & illorum, Eccleſiam pari temeritate condemnent,& relicto itinere ſalutis ac vitæ, illos per vitiorum abrupta gradientes, atque ad interitum concitatiſſimè properantes ſequantur. Cùm igitur hæc ita ſe habere intelligerem, exiſtimaui me Chriſtiano homine dignum officiū præſtiturum, ſi quantulumcunque in me facultatis eſt, atque doctrinæ; quod mihi purum, & ab omni hæreſeon labe, & errorum contagione ſeparatum, beneficentia diuina ſeruauit, id totum in hoc egregium facinus conferrem: vt ſimplicioribus quibuſque Chriſtianorum planum facerem, quàm iniqua ac temeraria eſt aduerſariorū ſententia, qua noſtram maiorúmque noſtrorum fidem condemnant; & quantopere fides noſtra verbo Dei quadret, *Hæreticorum viæ.*

dret, atque reſpondeat: illorum verò diſſentiat. Ex quo intelligetur, quàm falsò de Dei verbo aduerſarij gloriātur, qui cùm ſe euangelicos dicant, nouum tamen doctrinæ, cum CHRISTI Euangelio pugnātis, genus prędicant. Quod, Deo fauente, planum faciemus omnibus; qui totius cauſæ noſtrę ſtatum perſpicuè intelligere, de eáque ſanum, maturum, ſincerúmque iudicium ſolius veritatis ſtudioſi ferre voluerint. Hoc igitur animo librum iſtum conſcribendum duxi, quo, & cauſam noſtram defendere, & maiorum noſtrorum fidei veritatem demonſtrare conſtitui. Quam certè fidem non modò ſequimur, ſed quoniam ſolam veram ac Dei verbo legitimè accepto conformem eſſe nouimus, quicquid tandē euenerit, vſque ad vltimum ſpiritum Dei beneficio conſtantiſſimè retinebimus. Illud autem in primis planum faciam, neque nos neque maiores noſtros erraſſe verum CHRISTI corpus verè & realiter in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe credentes, neque illud in eo ſumma cum veneratione adorantes, eſſe idololatras. Ad hæc nos & Dei verbum ſequendo erraſſe, ſi erramus, & ipſius præceptis obtemperando idololatriam admiſiſſe, ſi hîc idololatriæ crimen admittimus. Nihil enim aliud niſi ſolum Dei verbum (tametſi & diuinas traditiones

tiones adferre poſſem) quo & me protegam, & patrum noſtrorum innocentiam tuear atque defendam,& falſam aduerſariorum opinionem euertam, in hac contentione deſidero.

Quod ſi hoc ab illis obteneri poteſt, vt totam hanc controuerſiam verbi Diuini puriputi auctoritati ſubmittant,certam mihi pro noſtra maiorumq; fide ac religione certanti, promitto victoriam : nec mihi dubium eſt, quin hanc cauſam cuiuis æquo iudici facile probem,qua ex victoria;non modo nobis,ſed etiam aduerſariis, (ſi ſapiant) non mediocris accedet vtilitas. Nihil auté aliud hoc primo libro agere inſtituimus, niſi ad alterius voluminis lectionem,lectoris animum pręparare. In hoc igitur libro docebimus planúmque faciemus, aduerſarios ad maiorum ſuorum condemnationem iniquiſſimè proceſſiſſe, tum, quod in ſacra religionis cauſa iudicum partes ſibi ſumpſerint,omnibúſque quamuis imperitis ac ſtultis idem permiſerint: tum etiam quod ita ad huius cauſæ iudicium acceſſerunt, vt nullas leges rectè iudicâdi,quas tamen quibuſcunque iudicibus & in quauis cauſa iura præſcribunt, obſeruauerint. Præterea demonſtrabimus omnis contra catholicam fidem erroris fontem, ex quorundam phanaticorum hominum furioſa temeritate

Heretici iura omnia reſpuũt.

deſcendere, qui quamuis inepti, & imperiti, reiecta Eccleſię Romanę auctoritate & determinatione quę infallibilē veritatē in fidei ſacramentis docet, de omni tamen Theologica controuerſia leuiter audent ferre ſentētiam.

Secundo libro, fidem noſtrā ſupra immobilem verbi Dei petram fundabimus, nec aliud quicquam niſi ſacræ ſcripturæ teſtimonia & rationes probationéſque eas quæ ad ipſius fidei confirmationē inde elici poſſunt, producemus. Non quod diuinas traditiones reiiciamus, quas parem auctoritatem cum diuinis ſcripturis habere cōfitemur: ſed quia has hæretici, cum quibus nobis res eſt, eas non admittentes, ſolum Dei verbum à ſe ſathanico ſpiritu peruerſum in controuerſiis admittunt.

Tertio planum faciemus, ſacræ ſcripturæ teſtimonia ad fidei noſtræ confirmationem, à nobis ſecūdo libro citata ab antiquis Eccleſiæ ſanctæ magiſtris, in eodem ſenſu expoſita fuiſſe & accepta, quem nos intelligentiæ ſenſum amplectimur ac ſequimur. Deinde docebimus, cur antiquorum patrum in explicandis ſcripturis ſententiam nouis aduerſariorum expoſitionibus præferamus.

In quarto omnia illorum argumenta rationéſque Philoſophicas, ac Sophiſticas refutabimus, & omnia argumentorum, quibus

bus immobilem verbi Dei pro Euchariſtiæ ſacramento veritatem impugnant, genera diluemus, que omnia ex gentilium, Iudeorũ, aut veterum hæreticorum libris, tanquam ex fœtentibus lacunis ſumpta, & ab antiquis Eccleſiæ patribus olim ſatis confutata fuiſſe monſtrabimus: pluribuſque argumentis ac rationibus naturalibus Deo poſſibile eſſe docebimus, quod illum aduerſarij in hoc ſacramento non poſſe contendunt. Quibus ita compoſitis, nihil illis reliquum erit, quo nos in poſterum oppugnare, aut arcem fidei noſtræ adoriri queant. Nam vbi primo fidem noſtram in hoc auguſtiſſimum ſacramẽtum ex auctoritate ſcripturæ veram eſſe conſtiterit, ac confirmatum fuerit, deinde cum omnia ſcripturæ loca, quibus contra nos abuti ſolent, diſcuſſa fuerint, ac proinde aduerſariis abundè ſatisfactum, quod primis duobus libris facturi ſumus, ſecundo, vbi ex omnium antiquorum patrum vnanimi cõſenſu idem oſtenderimus in tertio, denique omnibus argumentis phyſicis aut ſophiſticis, quæ nobis opponere conſueuerunt, in quarto libro confutatis, quis erit vſque adeò anxius, curioſus, aut dubius, qui ad fidei noſtrę cõfirmationem, & omnis contrarię opinionis cui aduerſus fidem patrocinari quiſquã poſſit, euerſionem amplius aliquid à nobis deſideret? *Simile.*

En amice lector, in quod nobis incumbẽdum & elaborandum putauimus. Nec dubium, quin noſter iſte labor, in omnibus quę ad hanc cauſam illuſtrandam perorandamq́; pertinent, tibi Dei beneficio affatim ſatisfaciet: aperiat modo Deus tibi intellectũ, omnẽmque praui ac impuri affectus caliginem, quæ clariſſimæ veritatis lumen furari, ac è medio remouere conſueuit, in te, ſua benignitate detergat. Et quamquã ingenij noſtri vires in dicendo ſanè exiguæ ſint, ſi cum huius cauſæ, quam agimus, magnitudine conferantur, cuius ſublimis maieſtas Demoſthenẽ aliquem aut Ciceronem meritò poſtularet, innocentia tamẽ maiorum noſtrorum & veritas, quæ nobiſcum facit, cum officio quod parentibus naturaliter debeo, & Dei præcepto coniuncta me mouent, vt illorum, & patrocinium ſuſcipiam, & nomen honoremq́; ſtudioſè propugnem, ac toto (vti dicitur) pectore in hoc incumbam, omnẽſque neruos intendam, & eorum priſtinã laudem & gloriam quam apud omnes bonos obtinuerũt, ab iſtorum iniuriis contumeliiſque defendam: nec ſilentio patiar tam eximias ac præclaras obrui & iacere virtutes, quibus cum multis ſæculis, toto pene terrarum orbe floruerint, eos vſque ad hoc noſtrum calamito-
Apoc. 13. ſum ſæculum (quo illa beſtia in Apocalypſi oſtenſa,

oſtenſa, habens cornua plena maledictis atq; blaſphemiis, os ſuum impurum aperuit, ad blaſphemandũ tabernaculum Dei Eccleſiá, beatóſque in cælo cum illo regnantes) omnis poſteritas, vt par erat, coluit atque ſuſpexit. Nam cum Eccleſiam ſanctóſq; patres atque doctores. 1500. annis in errore verſatos, & quidem vſque ad idololatriæ barathrũ lapſos fuiſſe contendant, Quid? Nonne conſequẽs eſt, vt & tabernaculum Dei Eccleſiam blaſphement atque reprehendant, quam idololatriæ plenam eſſe dicunt, & in beatos cum CHRISTO regnantes, quos impoſtores & idololatras vocãt, blaſphemiæ tela coniiciãt? *Hæreticorum blaſphemia.* Et quanquam mihi neque tãta eruditio tantáque facundia eſt, quantam hæc cauſa pro ſua magnitudine ſuoq; pondere poſtularet, tamẽ vt illorum, quos aduerſarij in ſuam ſententiam pertraxerunt, ſaluti conſulamus, hinc ipſa conſilij conatúſque noſtri honeſtas, & iuſtiſſimæ cauſæ dignitas, inde magnum dedecus, turpitudo, iniquitas aduerſariorũ, tantas mihi ad pulcherrimum hoc facinus aggrediendum vires ingerunt, tantum audaciæ ſubminiſtrant, vt neque noſtra imperitia ac ruſticitate ſermonis retardati, neque aduerſariorum copia & verborum lenociniis ac dicendi ſuauitate deterriti, in hanc arenam venire dubitemus. In qua nos ita præclarè

ROMA

officio functuros, tot argumenta validiſſima, rationiq́ue maximè conſentanea, tot diuinæ ſcripturæ apertiſſima teſtimonia in medium producturos eſſe confidimus, vt iis cuicunq; homini credenti Dei verbo, modo ſanum integrumq; iudicium, nec vllo ſiniſtro affectu, qui ex aduerſarij calumniis concipi ſolent, viciatum atque corrùptum adferat, facilè perſuaderi poſſit: nos maioreſque noſtros propterea quæ ſuperius enumerauimus, horrendis hæreſeos idololatriæq́ue criminibus falſo obrui, & ab ipſis aduerſariis ad tam dirum mortis eternæ ſuppliciũ iniuria condemnari. Adferat, inquã, quicunque hæc noſtra lecturus eſt, ſanum incorruptumq́; iudicium, facile nos & calumniis obrui, & veritatẽ ſequi, ſemperq́ue ſecutos eſſe perſuadebimus. Tantum fiduciæ ex diuino fauore auxilioq́; concipimus, quod nobis certè, in ſanctorum amicorumq́ue ſuorum, quos aduerſarij in primis oppugnant, cauſæ defenſione laborantibus, Deus ipſe præſtabit. Vnum mihi certum eſt, cuicũq; homini, modò is puro, claro, expreſſo Dei verbo credat, nos quod inſtituimus, facile perſuaſuros, noſtroſque maiores (quemadmodum inferius planum faciemus) ſi idololatræ fuerunt, ſequendo Dei verbum, fuiſſe deceptos, eoſdemq́ue ſi heretici fuerunt, propterea erraſſe, quod Deo crederent. Atque

Lectoris ſanũ iudicium deſideratur.

vtinam aduerſarij controuerſiam iſtam, ex puro ſolóque Dei verbo decidi reuera vellét, quemadmodũ ſe velle fingunt, iam dudum profecto huius controuerſiæ finẽ haberemus, fluctúſq; omnes,quos in orbe terrarum huius diſſenſionis tam violenti turbines excitarunt, vt in tanta tẽpeſtate certum reipublicæ chriſtianæ naufragium quodammodo impẽdere videatur,iam pridem cõpoſiti ſopitiq; eſſent, ſi quod iſti ſe velle dicunt,idem etiam animo ac mente ſentirent. Nulla ſiquidẽ noſtro ſæculo ab hæreticis controuerſia ſuſcitata eſt, quæ facilius decidi poſſit, quá iſta, ſi philoſophicas ac Iudaicas, omneſq; curioſas ac ſophiſticas quæſtiones,quæ in hac cauſa fieri ſolẽt, ad ſuos reiicerentur auctores,& homines ſola verbi Dei puritate cõtenti,philoſophici cerebri curioſitatẽ frenarent ac captiuarent:vt in tam ſublimi diuinaq; materia,deinceps ſe ab ipſa veritate duci gubernarique paterentur, quemadmodũ in cæteris fidei articulis facere cogimur,ne in erroris periculum incidamus. Neque enim vllo claro & expreſſo ſcripturæ teſtimonio ſententiam ſuam confirmare poteſt aduerſarius,quemadmodũ noſtram confirmamus. Id ita eſſe ſtatim intelliget, qui illum, vt vel vnum proferat, vrgere voluerit. Iſta ſi quidẽ propoſitio negatiua, hoc non eſt corpus meum, in nullo ſcripturæ loco tam-

quam à Deo prolata reperitur, ne alia quidē quæ pro Dei verbis corpus, caro, ſanguis, aduerſarij obtrudūt, vſquam in ſcriptura, quando huius ſacramenti fit mentio, reperiuntur.
Mat. 16. Mar. 14. Ioan. 6. Nunquam enim dixit Deus, hoc eſt ſignum, effectus, figura, ſpiritus corporis mei, ſed ſimpliciter, hoc eſt corpus meū: hic eſt ſanguis meus, panis quem ego dabo, caro mea eſt. Caro mea verè eſt cibus, & alia huiuſmodi verba, quæ omnia in ſuo literali naturalique ſenſu abſque vlla immutatione, adiectione, diminutione accepta, fidem noſtram vſque adeò euidēter aſtruunt ac probant, verumq; CHRISTI corpus in hoc ſacramento eſſe confirmāt, vt valde mirandum ſit, ſi quiſquā exiſtat, qui veram horum verborū, caro, ſanguis, corpus ſignificationem intelligēs, aliud ex his verbis colligere poſſit: quam id, quod nos maioresq; noſtri, à CHRISTO hoc ſacramentum promittente aut inſtituente, dictum eſſe credidimus, & adhuc credimus. Quod ſi forte reſponderint, corpus hîc, pro figura ſignóue corporis, carnem pro ſpiritu, ſanguinem pro alia re, quę ſanguis nunquam fuit, accipiendum eſſe; quis non videat eos, (quod paulo ante dicebam) ſuis verbis confirmare, nimirū illos Dei verbo vti non poſſe, *Heretici verba in ſcriptura mutant.* niſi illud antè mutauerint, & pro Dei verbis, alia ſuæ ſententię conſentanea ſuppoſuerint.

Tanquam

Tanquam ſi exiſtimarẽt Dei ſapientiá, quod intimis amicis dictum volebat non potuiſſe commodè exprimere, propterea quod neque quid verba ſignificent teneret, neque ſciret quãtum inter eſſe & ſignificare, inter corpus & figuram, carnem & ſpiritum intereſſet. Vnde totum hominum genus in denſiſſimis ignorantiæ tenebris verſari, idque æquo animo ferre, ac proinde certatim in tartara ruere neceſſe erat, donec magni iſti mirificíque homines diu deſiderati, tandem aliquando, noſtro ſcilicet miſerrimo ſæculo venirent, ac illius in quo ſunt theſauri ſapiẽtiæ Dei, errorẽ emendarent, admiſſúmque ab eo defectum ſupplerent, dum in negocio maximi põderis quale hoc eſt, tàm propriè loqui non potuit, quin ipſius verba corrigi, aliáque pro iis ſupponi oportuerit, vt iſtorum nouorũ prophetarum, atque doctorũ nòuis opinionibus ſententiisq; quadrarẽt. Debebat enim (inquiũt) pro, eſt, dicere, ſignificat; pro corpore, vmbrá; pro carne, ſpiritum; pro ſanguine, aliquod ſignum; vt omnibus planum eſſet, nunquam illum vlla de re minus locutum fuiſſe, quam de eo, de quo maximè loquebatur, neq; vellet intelligi, ſuæ carnis & ſanguinis vllam à ſe mentionẽ vnquam factam fuiſſe, de quibus tamẽ ita ſæpe iam dixerat. En quam iſti noui Euãgeliſtæ nobis de CHRISTO & de ipſius

ſtudio ac voluntate fallendi genus humanũ, ſi tamen id quod dicunt,verum eſt,exiſtimationem ingenerant. Sed dicet aliquis fortaſſe, illi, verba Dei(quæ ſuperius commemorauimus) ita exponenda & accipiẽda eſſe dicunt. Rectè, hoc enim aſſeuerans mihi anſam prębes ad meam ſentẽtiam comprobandã,videlicet,illos ad cõfirmandam opinionem ſuam, nullo Dei verbo niti, ſed tantum hominum verbis abuti. Qui enim, aut quales ſunt ij, qui ita dicunt?nonne homines? Itaque quod illi dicunt,rem totam explanat atq; explicat. Expende ſiquidẽ,qui,& quales ij ſint,qui pro illis dicunt: deinde qui ſit is,qui quod nos & dicimus & credimus,tradidit, nimirum Dei filius, qui vt nobis ſalutem adferret, venit in mundum. Qui verò ſunt alij? nonne aliquis Berengarius, Oecolampadius, Zuinglius, Caluinus,qui omnes ſunt homines,ac proin-
Pſal. 115. de mẽdaces,non dij aut Dei filij? Nihil igitur aliud,ad illorum opinionẽ confirmandam,& noſtrã fidem oppugnandã, niſi ipſorum verba producis,pro Dei verbis,hominum verba mihi obtrudis: Dei verba quęrebã,ad illorum ſententiam cõprobandam,& alia nulla profers,niſi alicuius Berengarij,aut Caluini,quę numquã ſuo ore Dei filius protulit. Ego verò ob verba hominũ, fidem meam nolo dimittere, Dei aut Eccleſiæ verbis mihi opus eſt,

vt & eius voluntatem,& quam fidem retinere debeam,planè cognoſcam.Porrò tu iudica (& quidem coram Deo) vtrum æquius ſit, hominum,quam ipſius verbis credere. Quis Chriſtianorũ ignorat,vtrum homini,an Deo potius de CHRISTO credendũ ſit? Hic qui ſit, & vnde venerit,ſcimus:cæterũ iſti homines,qui illius verba demutãt, qui ſunt? Vnde venerunt? niſi forte dicas illos eſſe Antichriſtos,qui CHRISTI verbis cõtraria adferũt, imo verò pro ipſius verbis ſua ſupponunt,aut certe ab ipſo Sathana miſſos,qui illius magni ſui miniſtri Antichriſti eſſent antecurſores. Quotieſcunque igitur iſtud, illi dicunt, profertur in medium,quęre qui ſint illi,& vnde? Quod autem genus animantis nobis innuit illud verbum, dicũt? Num Aſinos,an Capricornos,an Dæmones,an homines? Deprehẽdes autẽ homines,& Berengariũ,Caluinum, Melanthonem. Agedum igitur,pro hoc verbo dicunt, pone illud, homines, & deinceps cum fidem meam Dei verbo ſubnixã oppugnabis,illáque ipſius Dei verba ex me audieris, hoc eſt corpus meum, audacter exprome ſententiã tuam,& dic ingenuè. Sunt quidem Dei verba, hoc eſt corpus meum, ſed homines quidam magiſtri mei,corpus eius eſſe negant,ac ſolam illius vmbrã eſſe contendunt. Quod vbi dixeris,quærã ex te, vtrum potius Mat. 26.

audire

audire debemus, hominem an Deum? Dixit enim Deus, hoc eſt corpus meum, homines autem tui ſimiles contrà dicunt. Minime, minime, non eſt hoc ipſius corpus, ſed tantum corporis eius ſignum, & tu me vis homini potius, quam Deo credere? Qui ſi ſua verba ita voluiſſet intelligi, (vt iſti ſomniant) nonne facile dixiſſet, non eſt hoc quidẽ corpus meum, ſed tamẽ illud ſignificat. Ita certè dicendum illi erat, ſi ita vellet intelligi, quandoquidẽ æquè facilè vnum atque alterũ dici poterat. Apagè igitur illud illi dicunt aliaq́; huiuſmodi hominum ſomnia, quando Dñs Deus loquitur. Hunc enim audiã, huic credã, interim homines vt viſum fuerit, garriant. Quale enim eſſet, vt Deum loquentẽ audire deſinam, vt homunculos ei contradicentes, immo obganniente, audirem? Vides igitur, amice lector, quàm infirmũ ac inſtabile fundamentũ aduerſarij iecerint, ſuper quo, contra maiorum noſtrorum religioſam, ac ſtabili firmitate fundatã fidem nouæ religionis molem ædificent. Nihil enim aliud illi habent, niſi verba hominũ, quæ plurimis Dei verbis, quibus antiqua fides religióque noſtra fixa ſubſiſtit, impudẽter opponunt. Vrge eos igitur, & quære ab iis, num proferre poſſint aliquod Dei verbum, quo diſertè probari poſſit, hoc loco verbum, eſt, accipiendum eſſe, pro

Deum magis quàm homines audire oportet.

Infirmum hæreticorum fundamentum.

ſignificat

ſignificat,corpus,pro vmbra. Quod ſi vel vnű inuenerint,ego me cauſa cecidiſſe cőfitebor, ſed omnes Diuinæ ſcripturæ paginas peruolutent,nuſquá profecto legent,Deum de hoc ſacramento loquenté,huiuſcemodi verbis vſum eſſe,quę iſti ad cőſtituendam nouá ſectá, Antichriſtiq; doctrinam impiè excogitarunt.

Igitur (vt eò vnde digreſſa eſt, reuertatur oratio,) vtinam aduerſarij cauſam iſtam, per expreſſum & clariſſimum Dei verbum ita decidi vellent, vt illud humanis ſomniis & phantaſiis non turbarét atque confunderét, & ſi id fieret,certè pro nobis maioribusq; noſtris celerrimè facilimeq; vinceremus. Tibi enim,ô CHRISTE ſeruator,tibi(inquam) ô Domine, tanquam ipſi incommutabili veritati maiores noſtri crediderunt, cùm tuum ſacratiſſimű corpus,in hoc diuino ſacramento eſſe crediderunt,cùm autem in eo te adorarunt, in quo te ex puriſſimo verbi tui fonte eſſe didicerant, cœleſtibus patris tui præceptis obtemperabát, quod tam idololatria eſt, quàm tu ipſe idolum. Nec poſſint maiores noſtri idololatriæ iure damnari, niſi prius te idolum & non verum Deum (quem hîc ſolum,& prætera nihil adoramus) eſſe conſtiterit. At, quæ Chriſtiana auris eſt, quæ tam horrendam blaſphemiam patienter audiret? Chriſtus Dominus verus eſt Deus noſter,velint

Pia ad Chriſtum apoſtrophe.

lint nolint Iudæi, Gentiles, Saraceni, Arriani, aliique omnes hęretici. Iuxta primum igitur, diuinæ legis præceptum illum vbicunq; eſſe intellexerimus, adorare debemus. Cùm ergo lex diuina præcipiat dicẽs, Dominum deum tuũ adorabis, eum in hoc auguſtiſſimo ſacramento adorare debemus. Tantum autem abeſt, vt eum adorando peccemus, vt potiùs (quemadmodum Auguſtinus ait) eum non adorãdo peccaremus. Nam ſi CHRISTVM IESVM Dominum Deum tuum eſſe credis, quomodo locum, in quo eum, ex ipſius verbo eſſe didiciſti, audeas præterire, quin ei debitum adorationis & reuerentiæ cultum impendas? O impudentiam & arrogãtiam ſingularem eorum hominum, qui coram Deo prætereunt, nec eum vllo honore dignantur, quod certè coram quocumq; homine nobili facere non auderent. Hic ergo Deum adorate, vbi eum nõ homines, ſed ipſius verbũ eſſe confirmat, hic inquã Deum adorate, omnes, qui in circuitu eius adfertis munera. Nec dubium eſt, quin hæc ſit vna cauſarum, cur CHRISTVS Dominus in hoc diuino ſacramentò nobiſcũ inuiſibilis eſſe voluerit, quod hominibus cõtinuam implendi adorationis diuinæ præceptum anſam præbere voluerit, eóſque perpetuò admonere, vt ſibi debitum ab omnibus nobis honorem impendant.

Deut. 6. & 10.

Aug. in pſal. 96.

Chriſtus in Eucharistia quare eſſe voluit.

Cùm

Cùm igitur CHRISTVS hic ſit,hic adorandus eſt, iuxta ſcripturam dicentem: Et adorabunt eum omnes Reges,omnes gentes ſeruient ei. & alibi; Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium. Vides igitur, maiores noſtros verbi Dei auctoritatem ac prophetarũ, qui hæc ita futura prædixerant, oracula ſecutos, fuiſſe idololatras, ſi tamen tales fuerunt,propterea quod CHRISTVM IESVM in hoc ſuo diuino, ac incompræhenſibili ſacramento adorarunt,quemadmodum infra vberiùs docebimus. Interim, ab vnoquoque librorum meorum lectore peto, ſi illi veritatis iuris, æquitatis, rationis vlla cura eſt, vt ſentẽtiam tantiſper iudiciúmque ſuſpendat, dùm videat quo pacto præſtemus id, quod paulo ante promiſimus. Nam ſi ex Dei verbo CHRISTVM IESVM in hoc auguſtiſſimo ſacramẽto eſſe probamus,quod nos altera Apologia facturos eſſe confidimus, quàm iniuſtè ac nefariè nos maioréſque noſtri,& quod hoc credimus hereſeos, & quod illum in hoc ſacramento adoramus, idololatriæ cõdemnamur, cuiuis erit perſpicuum. intelligetur illud quoque ab omnibus, eos, qui hominibus neque CHRISTO credendum, neque ipſum adorandum eſſe perſuadent, quod aduerſarij faciunt, potius infideles hæreticos, idololatras eſſe. Hic igitur

Pſal. 71.
Pſal. 21.

Chriſtia-

Chriſtianus lector diligēter attendat,& quæcunque dicemus, ac pro cauſæ noſtræ defenſione proferemus, maturè diſcutiat, nec ſententiam contra maiores noſtros, eorúmque fidem antè præcipitet, quàm patienter hæc noſtra perlegerit, illorúmque defenſionem, argumenta, rationes, quas ad aſſerendá veritatem innocentiámque ſuam, cum egregia virtute ſummaq; æquitate cõiunctam exactè trutinauerit. Neque vero,ab operũ meorum lectoribus minus aliquid petere poſſem, quá vt maiorum ſuorum memoriæ hanc animi moderationem exhibeant, ne illos inauditos æternis ſuppliciis adiudicẽt. Quod ſi coram adeſſe cauſamq; ſuam ipſi agere non poſſunt, patiatur quæſo Chriſtianus lector illis patronum dari, qui illorum fidem innocentiamq; defendat, & cur ita crediderint, poſteróſque ſuos eadem religione ac fide imbuerint, planum faciat. Hoc noſtrum poſtulatum, adeò æquum eſt,vt ne ethnici quidem,quod petimus,denegarent.Tanta enim in reos omnes, quamuis magnis criminibus accuſatos,æquitate vtuntur,vt eos nunquam antè condemnent,quàm liberũ iis purgandi ſui locum dederint. Quæ cum ita ſint, non minorem à Chriſtianis æquitatem nobis promittimus, alioqui ipſis Gentilibus deteriores,omniſque æquitatis, iuſtitiæ, pietatis obliti viderentur,

 ac pro-

ac proinde ab ipſis, ad alios æquiores iudices me appellare compellerent. Neque verò de concilianda lectoris beneuolentia, attentione, docilitate mihi laborandum eſt, maximè cùm æquiſſimam iuſtiſſimamque cauſſam, quam aduerſus immanem hoſtium noſtrorum crudelitatem ac furorem tuemur, ſtatim in exordio ſim explicaturus. Quorum hoc ſtudium eſt, vt populi à ſe circumuenti, ac in noſtri odium concitati, fauore, mendacijs emẽdicato abutentes, id agant, in hoc toto pectore incumbant, vt ſolam accuſationem ſuã innocentium cõdemnatio protinus conſequatur, quemadmodum olim Phariſęi in Chriſtum agebant, & perfeciſſent, ſi illorum iniquæ voluntati Pilati iudicis temeritas reſpondiſſet. Sed is, tametſi gentilis, vtens tantum iure naturæ, ſe intelligebat contra æquitatem eſſe facturum, ſi reum inauditum ob ſolam inimicorum criminationem condemnaſſet. Plus igitur æquitatis, prudentiæ, diſcretionis ille, quamquam Ethnicus & impius, obtinebat, quàm plerique principes, ciuitates, populi Galliæ noſtræ; quorum tãta fuit ac tam exitialis ſimplicitas, vt ab aduerſarij eloquentia ſeſe tam procul ab ipſius æquitatis ac rationis finibus abripi ſinerent, vt ad ſolam illius accuſationem nos maioreſq. ſuos, ac proauos condẽnarint,

Ioan. 19.

Hæreticorum crudelitas oſtenditur.

C fortiſſi-

ſortiſſimorum ac Chriſti deuotiſſimorum patrum ſuorum vitam, fidem, memoriam reiecerint: & ne quid eſſet quod ſuis impoſtoribus denegatum videretur, ad eorum nutum, opida, templa, aras, ſepulcra, ſtatuas, aliaq́ monumenta maiorum ſibi ad illorum fidei, fortitudinis atque virtutis memoriam derelicta ſolo æquarint. Sed hæc fortaſſe leuiora. Illud autem quale eſt, quòd antiquam religionem ac fidem, innumerabilium martyrum ſanguine obſignatam, infinitis miraculis diuinitùs confirmatam, & à ſuis maioribus tanta fortitudine conſtantiaq́. retentam, tantis victoriis propagatam, & magnanimorum auorum tot diſcriminibus ac prœliis haud incruentis propugnatam, ita temerè leuiterq́. mutarunt? Tanta iſtorum inconſtantia, tanta leuitas eſt. Illi autem ob ſingularē in retinenda propagādaq́. Chriſtiana religione conſtantiā, præclaram que virtutem, immortalem laudem conſecuti ſunt, egregiæq́. fortitudinis gloriam toto pęne orbe terrarum adeò diffuderunt, vt apud exteras ac barbaras nationes in hodiernum vſque diem omnes latini nominis Chriſtiani Franci dicantur, & maiorum noſtrorum pietatis atq. virtutis memoria perſeueret. adeò iuncta olim ac colligata erant hæc duo nomina, Chriſtiani & Franci. Quæ res pleriſq. volati-

Hæreticorum temeritas & leuitas reprehenditur.

cis

cis ac inſtabilibus ingeniis multum prodeſſe potuit, eorumque temeritatem inhibere, ne ſuam fidem ac rempublicam à ſapientiſſimis piiſſimiſque maioribus præclarè cõſtitutam euerterent. Quis autem hic ipſa meridiana luce clarius non videat, aduerſarios Gallica ſimplicitate abuſos eſſe, vt eos in ſuã religionem, rempublicam, ac regnum armarent, prorſus ad eundem modum, quo olim Troiana ſimplicitate Sinon impoſtor ille Græcus abuſus eſt, vt Troianam rempublicam funditus euerteret? Notum autem eſt Francos ad Troianos originem ſuam referre: proinde non mirum eſt ſi ab iis aliquid retinent. Atque vtinam non eſſet locus dicẽdi de noſtris, quod de Troianis olim prouerbio ferebatur: Serò ſapiunt Phryges. neque enim illi, antequam perierunt, ſuum intellexerũt errorem. Ita profectò ſeriùs aliquantò (quàm par eſt) Galli Sinonem ſuæ & religionis, & reipublicæ perturbatorem, qui illos ad inteſtina bella, mutuaſque cædes, ac florentiſſimi regni euerſionem impulit, qui in republica tam quieta, ſuoque regi vſque adeò deuota ac ſubdita, vt toto orbe terrarũ vix par fuerit, ſeditionum bellorumque ciuilium fax fuit, ac pernicioſiſſimum excitauit incendium: ſeriùs inquam hunc Sinonem Gallia agnouit. neque enim proditionem

illam antè intellexit, quàm illius atrociſſimis conſiliis, & arte Pelaſga adeò inflammata apparuit, vt ſibi ipſi ſuiſque manibus ferro & igni ruinam minaretur. Sed quoniam huc delapſa eſt noſtra oratio, Sinonis, Græcorum & Troianorum hiſtoriã vberiùs explicabimus, vt intelligatur Galliam Gebenenſiũ ſuique Sinonis Bezæ artibus fuiſſe deceptam, quemadmodum quondã Troia nimis credula, Græcorũ ſuique Sinonis dolis capta & euerſa eſt. Troiani igitur tantum fortitudine potentiaque valebant, vt eos Græci vi & armis ſuperare non poſſent. Cum ergò aperto Marte parum ſe proficere intelligerent, occultam fraudem tectoſque dolos ſibi adhibendos putarunt. Itaque Sinonem inſignem mendaciorum ac fraudis architectum, qui Troianos ſuis artibus caperet, ſubornarunt. qui cùm in vrbem eſſet adductus, ac populi ſæuientis furorem lacrymis ac miſerabili voce fregiſſet, impetrata audientia perſonam ſuam agere cœpit; & vt ſibi poſtea mentienti crederetur, in ipſo ſuæ orationis exordio ea dixit, quæ omnes vera & indubitata eſſe cenſerent. deinde teſtatur Sinon ſe non eſſe mendacem, nec vllo modo velle fallere. Primò igitur ſe Græcum eſſe confitetur, quod omnes verum eſſe intelligebant. Id confeſſus, tantam apud Troianos fidem obtinuit,

Sinonis fraudes Beza imitatur.

tinuit,vt quidquid poſteà ille dixiſſet, id tamquam ab integerrimæ fidei homine profectũ, omnes ſibi credendum putarent. Itaque malè credulis hominibus poſtea quæcumque excogitauerat mendacia facilè perſuaſit, eoq́. iacto fundamento, ruinam illius ciuitatis exſtruxit. Quamquam autem ſapiens ille Laocoon & Caſſandra vates Troianos inſtantis periculi & Græcorum aſtutiæ multis admonebant verbis, ſuſpectum eſſe dicentes, quod Græci agebant, quantumuis id bonũ & egregium videretur; magiſque metuendos & cauendos eſſe, dùm amicitiam ſimulant, quàm vbi aperto Marte pugnãtes, ſe hoſtes eſſe demonſtrant: tamen illos bene monentes nemo audiebat, pluſque fidei vni Sinoni eorum euerſionem machinanti omnes adhibebant, quàm vlli alij eos, quanto in diſcrimine verſarentur, admonenti. Sic euenit vt leuem illorum credulitatem miſerabile eius vrbis ſequeretur excidium. Nec vmquam Troës Sinonis & Græcorum dolos antè ſenſerunt, quàm hoſtes ſuos equo ligneo egreſſos totam vrbem cædibus & incendiis complere viderunt. Talibus artibus & dolis vſi ſunt aduerſarij, vt Galliam euerterent: miſſo enim Geneua illorum ſpelunca, in qua huiuſmodi homines delitеſcebant, Sinone quodam in Galliam, huius regni murum, id eſt nobilita- *Geneua hæreticorũ ſpelunca.*

 tem,

tem, qua nullus murus eſt firmior, per eum ita labefactarunt ac peruium reddiderunt, vt iis facile fuerit ſuum Germanicum equitatum immittere, qui omnia diriperet, Galliamq́ue vaſtaret. Ingreſſus autem in Galliam Sinon, initio tam audacter in Eccleſiaſticorum vitia, quæ nemo non videbat, inuehebatur, vt coram Gallicana ſimplicitate veracis hominis opinionem ſibi facilè compararit. deinde teſtatus nihil aliud, niſi veri amorem ſibi eſſe propoſitum, nec aliud ſe velle, niſi inſtrui ac doceri ſi fortè erraret: cùm verborum lenitate ac pietatis imagine in gratiam Principum ſeſe inſinuaſſet, irrepſit in Galliam, & à primaria nobilitate ſuſceptus, ad ipſius regni euerſionem reſeruatus eſt, quemadmodum poſteà declarauit euentus. Qui profectò talis fuit, vt Troiana illa calamitas nihil fuerit, ſi cum hac conferatur, quæ noſtra memoria pæne totam Galliam euertit. Licuit Sinoni dicere Troianis quidquid voluit, vbi ſemel admiſſus eſt, eiq́ue Troiani pluſquàm alicui alteri adhibebant fidem, poſteriora mendacia ex priorum verborum veritate metientes. Ita Galli vbi Geneuenſem Sinonem in cleri vitia inuehentem vera dixiſſe ſenſerunt, quidquid poſtea dixit facilè crediderunt; nec quibus artibus, ac dolis circumueniebantur, ante ſenſerunt, quàm ſuas

ciuitates

ciuitates captas, templa direpta, exercitum hoſtium in ſuis agris ipſo Sinone duce & anteſignano vagantem, Germanum equitatum cuncta diripientem atque vaſtantem, veros Dei cultores, Eccleſiæ, regis, patriæque amantes, paſſim atrociſſimè trucidari viderunt. Græcus ille Sinon opportunum quo proditionem expleret tempus exſpectans, interim agebat pro arbitrio, ac verſabat omnia; Principum conſiliis intererat, quidquid dicebat aut conſulebat, audiebatur, eique promptiſſimè obtemperabatur. Hic autem alter Sinon ad eundem modum opportunitatem temporis, quo omnia cædibus incendiiſque fœdaret, exſpectans; Principes interim regebat, immo fallebat; vbique imperabat, ab omnibus recipiebatur. Optimates interea, quorum & in Deum, & in Regem, & in Rempublicam ſpectata fides erat, non audiebantur; & cùm Galliam impendentis ſibi diſcriminis, quod ipſi proſpiciebant, admonerent, eorum conſilia reiiciebantur. Ita Sinonis improbitati, ipſiuſque Galliç fato cedere cogebantur, abſenteſque, quem exitum Sinonis conſilia haberent, contemplari. qui qualis fuerit, nullus ignorat; certè Gallia ſuis cladibus nobilis, ac malorum, quç illius fraudes ac doli in eam inuexerunt, memor hodieque ſuſpirat. Horum autem omnium

præter Sinonis dolos magnanimorum Gallorum leuitas, ſimplexque credulitas occaſionem præbuit: qui cùm hæreticũ in re clariſſima ſemel verum dicentem audiſſent, citius quàm par fuit, ei fidem adhibuerunt, exiſtimantes eum etiam in reliquis vera dicturũ. Itaq. in vitia inuectus, vbi in ipſius Catholicæ fidei veritaté declamare cœpit, deteſtando proſcindendoq. maiores, eoſq. fatuos, deliros, deceptos, impoſtores fuiſſe dixit, ei temerè fidé adhibentes, maiorũ ſuorũ religioné ac fidem improuidè reiicere non dubitarunt; nec priùs quæſierunt, vtrũ id, quod ille dicebat, verũ eſſet an falſum. Ita cũ ille nos monachos ac ſacerdotes nihil aliud quã impoſtores ac populi ſeductores eſſe clamaret, ac ob turpé quæſtũ nos fidé atque doctrinam quam aduerſus illum alioſq. coniuratos defendebamus, excogitaſſe diceret, ei crediderunt: nec ſibi quærendum aut cogitandũ putarunt, quàm grauem inimicum in illo qui huiuſcemodi mendacia de nobis confingebat, ſuſtineremus. Quodque deterius atque incõmodius eſt & illis & nobis (hac ſiquidé de cauſſa & miſerabiles fratres noſtros atrociſſimè trucidari, & illos deteſtabilis cædis miniſtros ac carnifices fuiſſe, tum vidimus, vnde illos diuinam vltionem, iuſtamque Dei iudicis, qui huiuſcemodi parricidas punire

Vulgi leuitas.

nire conſueuit, ſentẽtiam exſpectare neceſſe eſt) cùm ille Geneuenſis Sinon nos morti adiudicaſſet, noſtraſque & domos euertendas, & ædes ſacras diripiendas eſſe pronuntiaſſet, eius ſententiam nimis leuiter & improuidè comprobantes, ſeipſos carnifices, crudeliſſimæq. ſententiæ exſecutores eſſe voluerunt. Itaque nimium leues ac creduli exſtiterunt, cùm in nos inauditos ſæuierũt; cùm id quod ab illo Sinone dicebatur, verúmne eſſet an falſum, examinandum non putarunt; cùm ne id quidem ſibi cogitandum exiſtimarunt, illos non eſſe noſtros iudices aut ſuperiores, ſed ſeſe ad illius nutum, iniquitatem malitiamque accommodantes, omne crudelitatis genus in inſontes exercuerunt. Erat tamen intellectu facillimum, quęcumque in nos ille dicebat, eſſe falſa, ab eoque conficta mendacia. Nam cùm ſacerdotes ac monachos alioſque Eccleſiaſticos noſtram religionem ac fidem ob turpem quæſtum excogitaſſe diceret, cui erat obſcurum, illum impudenter hoc fingere turpiſſimeque mentiri? Quis enim neſciat, antequam Pontificum, Epiſcoporum, ſacerdotum, monachorum quiſquam talis exiſteret, immo verò antequam naſceretur, toto orbe Chriſtiano nullam aliam fidem niſi hanc eandem, quam ab aduerſariis temerè reiectam nos conſtanter *Hæreticorum crudelitas.*

retinemus, promulgatam fuiſſe? quis ignoret nullam eſſe orbis Chriſtiani partem in qua fides aut religio huic nouellæ ſimilis, quam iſte Sinon cum ſuis pro Catholica reluctanti orbi vi & armis conatur obtrudere, prædicata fuerit? Vnde perſpicuum eſt, omnem dogmatum, quæ ille prædicat, falſitatem illis ſolis, tamquam eius doctrinæ architectis & auctoribus, adſcribendam eſſe. ſi quid autem in noſtra fide erroris eſſet admiſtum, id nobis iure adſcribi non poſſe, ſed totam eam culpam in illorum noſtroſque maiores, à quibus ea imbuti ſumus, eſſe retorquendam. Quis igitur perſpicuè non videat, calumniis mendaciiſque nos appeti, cùm illi de inſontibus multa confingunt, vt & nos iure videamur occidi, & Gallicæ nobilitatis ac ſimplicis populi animos ita in noſtri odium inflamment, ita furorem accēdant, vt & in nos tantam ac tam immanem crudelitatem exerceant, quantam in rabidum canem, aut graſſatorem lupum numquam exercerent: dum nos contra fas, contra leges omnes exquiſitiſſimis ſuppliciis excruciatos atrociſſimè occidunt. Quæ cùm ita ſint, nónne omnis humanitatis obliti videntur? an nos homines ſui ſimiles arbitrantur? an nos in Chriſti nomine quemadmodum & ipſi baptizatos exiſtimant? Fundamentū autem

autem illorum nefariæ crudelitatis eſt ſubdolum illud mendacium, quod in nos aduerſarij confinxerunt; quod tam apertè vanũ ac falſum eſt, vt nemo tam cæcus exiſtat, qui ſine affectibus naturam & qualitatem orationis illorum conſiderans, hoc planè non videat. Cùm igitur illi tam apertam calumniam impudenſque mendacium ad ſuum facinus, quo pietati bellum indixerant, & ad nos trucidandos furialia arma induerant, excuſandum obtenderent, omni homini prudenti & cordato in ceteris debent eſſe ſuſpecti; cùm planum ſit à quo ſpiritu illi ad talia & dicenda & facienda impellerentur. Quis enim alius ſpiritus ad talia audenda eos impulit, niſi Diabolus, qui ab initio homicida eſt, paterque mendacij? Vnde etiam omnes homicidæ & mendaces illius filij appellantur, & quemadmodum à Chriſto Iudæi propterea quòd & in eum mentiebantur & eum occidere cupiebant, Diaboli filij dicebãtur: ita ſeductores iſti eodem nomine digni ſunt, quia fingunt in Chriſtianos ſuoſque fratres iactantque mendacia, vt eos vita fortuniſque ſuis iure priuare videantur. Non eſt vſque adeò crudele atque immane Chriſti Euangelium, non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Nec venit Chriſtus vt homines occidat & perdat, ſed vt ſeruet.

Ioan. 8.

Ioan. 8.

vt ſeruet. Vnde etiam hortatur & monet, vt abs ſe humanitatem manſuetudinemque diſcamus. Quid enim aliud docuit, cùm ipſe cum Apoſtolis ſuis in ciuitatem Samaritanorum receptus non eſſet, quæſiſſentque ab eo Iacobus & Ioannes, Domine, vis dicamus vt ignis deſcẽdat de cælo, & cõſumat illos? nõne cõuerſus increpauit eos dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis? Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. Tantum inter Chriſti & Antichriſti ſpiritum intereſt. ille ſiquidem benignus, mitis, humilis, ſuauis eſt, nihilque aliud, niſi hominum ſalutẽ deſiderat: hic verò, nimirum Antichriſtus, crudelis, ſæuus, immanis, homicida, mendax, ſuperbus, nihil aliud niſi cædem, perditionemque hominum ſpirat. Quæ cùm ita ſint, non eſt dubium, quin agere calumniis ac mendaciis, vt trucidandi homines anſam reperiat, quod in nos ſæua tum moliebatur impietas, à mali ſpiritus nimirũ Diaboli cõſilio & inſtinctu proficiſcatur. Qui aũt ſpiritus Chriſti participes ſunt, ij tanta (vti confido) erga nos humanitate vtentur, vt noſtrã Apologiam patienter & attente legant, vt ex iis quæ dicturi ſumus copioſè ac plenè, & fidei noſtræ veritatẽ, & cauſſæ noſtræ æquitatem, & iniuriæ nobis factæ, dum adeò leuiter ac temerè morti & corporali & æternæ vnà cum

Luc. 9. Chriſti & Antichriſti diſcrimen.

cum optimis ſanctiſſimiſque maioribus noſtris adiudicamur, magnitudinem intelligant atque perſpiciant. quibus noſtrum ſtudium, quo innocentiam noſtram calamo, quando gladij materialis vſum ſponte abiecimus, moderatè defendimus, ingratum eſſe non poterit. Et quoniam lex ipſa naturæ omnibus arma defenſiua permittit, quiſquis hæc noſtra lecturus eſt, moleſtè non feret, ſi gladio ſpiritus (quod eſt verbum Dei) nos ab aduerſariorum iniquitate defendimus. Quos ſatis vlti erimus, vbi mundus intelliget illos iniuria & contra expreſſum Dei verbum dixiſſe, egiſſe, defendiſſe contra nos quidquid & dixerunt & egerũt, & defenderunt. Quod ad reliquum vltionis attinet, Deus viuorum & mortuorum iuſtus iudex viderit, cui quod ſupereſt committimus, interim nihil aliud petimus niſi vt vnuſquiſque de tota cauſſa rectè iudicet, iuxta clamantis Prophetæ præceptum: Rectè iudicate filij hominum. neque mihi curæ eſt, in cuius lectoris manus hæc noſtra opera incident, modò in illo ſit aliquis veritatis affectus, quæ apud omnes bonos tanti eſſe debet, vt cum philoſopho dicere poſſit: Amicus Socrates, amicus Plato, magis amica veritas.

Verbum Dei gladius.

Pſal. 58.

Quatuor autem ſunt genera hominum, in quorum manus hi libri fortè peruenient, quique

Quatuor hominum genera.

quique hęc noſtra lecturi ſunt. Alij ſiquidem ſunt Catholici in ſuſcepta fide ac vera religione conſtantes & immobiles. alij vacillãt, ac in fidei negotio dubitant: & quoniam animo fluctuant, neq. quam partem ſequi debeant ſatis ſciunt, ad omnem doctrinæ ventum flecti facilè poſſunt, parati tamen veritatem amplecti, ſimul atque hæc illis demóſtrata fuerit. alij ſunt prorſus hæretici, qui reiecta eccleſiæ Catholicæ fide, ſeſe capitales eius hoſtes reddiderunt; & vt certos ſequerentur erroris magiſtros, Eccleſiæ bellum exitiale indixerunt. & nequid ad impietatem deeſſe videatur, eos omnes qui illorum erroribus approbatis atque ſuſceptis ſuam fidem deſerere nolunt, pro eaque illorum opiniones amplecti, immortali odio proſequuntur. Vltimi ſunt Athei ac Libertini, qui quoniam & de ſublimibus fidei noſtræ myſteriis curioſiùs quàm par erat diſputantes, ea comprehendere, & lectis argumentis quæ aduerſus fidem hæretici excogitarunt, ex illarum diſputationum labyrintho ſeſe extricare minimè potuerunt, omnem vèritatem ac religionem penitus abiecerunt: atque ita Epicurei, gaſtrolatræ, ventriſque mancipia facti, humanam dignitatem brutorum animalium pedibus ſubſtrauerunt. quibus accidit id quod ait Publius in Mimis: Nimiùm altercando

cando veritas amittitur. His cùm diuinitatis nulla ſit cura, qua in parte ſit veritas, non laborant. attamen eam ſectam, quæ ad Epicuri ſententiam ac volutabrum proximè accedit, libenter ſolent defendere. A quibus id vnum peto, vt hæc noſtra patienter legant, & argumenta quæ certo in loco ſecundi libri contra ſæculi noſtri philoſophos attulimus, diligenter expendant. Qui cùm fidem noſtram de Euchariſtiæ ſacramento eſſe natura incredibilem, nec philoſophica ratione poſſe comprehendi vident, eam ſuſcipere nolunt. quòd ſi noſtra legere non grauabuntur, intelligent profecto tantum abeſſe, vt quæ à natura proficiſci videtur incredulitas, quæque fidei noſtræ de hoc auguſtiſſimo ſacramento arcana illa myſteria penetrare non poteſt, illis de ipſius fidei veritate dubitandi anſam præbeat, vt potius ſit validiſſimum argumentum, quo & totam fidem noſtram, quæ, vt Apoſtolus ait, eſt rerum inuiſibilium, Heb. 11. natura non apparentium, & ipſius fidei non Fides quid ſit. minimam partem, quæ de Euchariſtiæ ſacramento agit, probare ac confirmare videatur. Hæc enim (vt ita dixerim) incredibilitas certum ac euidens fidei noſtræ à Deo profectæ, nec vllis humanis viribus, ſed tantum diuinitùs orbi perſuaſæ teſtimonium eſt. fieri ſiquidem nullo modo potuit, vt alius quàm

ipſe

ipſe Deus, aut certè homines Deo pleni, tot eruditis viris, tot philoſophis, tam incredibilia perſuaſerint, qualia ſunt ea quæ in hoc admirabili myſterio fieri credimus. Quæ enim tanta eruditio atque doctrina, quæ tanta vis copiaque dicendi, quæ talem fidem rerumque natura tam abſtruſarum certam perſuaſionem, tantis ac tam ſubtilibus ingeniis ingenerare potuiſſet? Quis autem neſciat, quales ij fuerint qui fidem ab ipſis Apoſtolis eorumque diſcipulis acceperunt? quales ij denique exſtiterint, qui ſibi à maioribus, quaſi per manus traditam, in hodiernum vſque diem eandem inconcuſſam tanto animi ardore, tanta conſtantia retinuerunt, vt pro illius defenſione ſanguinem ſuũ libenter effunderent? Ex quo ſequitur neceſſariò fidem hanc mundo diuinitùs fuiſſe perſuaſam, ac ſolius Dei virtute ſubnixam eſſe. Quis enim hominum adeò vafer & callidus, quis orator adeò facundus exiſtet, qui res tam incredibiles atque incomprehenſibiles, quales ſunt hæ quæ in ſacroſanctis myſteriis geruntur, hominibus valeat perſuadere? Chriſti corpus vno eodemque tempore & in cælo eſſe & in terra, vbicumque iuxta ipſius inſtitutionem Eccleſiæ traditam conſecratur? Numquam igitur, mihi credite, numquam aliquis hominibus, quibus non

facilè

facilè aſſentiri mos eſt, tam incredibilia perſuaſiſſet, niſi Deus ipſe prædicatores ſuos adiuuans, in illorum doctrinæ fideique rerum inuiſibilium, quam hominibus inculcabant, confirmationem, infinitis miraculis mundi incredulitatem domuiſſet ac perfregiſſet. Et hæc quidem cogitatio non ſolum me inſuſcepta fide retinet, meq́ue de ſacramenti Euchariſtiæ veritate dubitare non patitur, verùm etiam cogit credere, doctrinam hanc è cælo ab ipſo Deo, qui eius auctor & propagator eſt, allatam eſſe diuinitùs. Itaque cùm Ægyptiis magis licebit dicere digitum ac virtutem Dei eſſe, quæ huiuſcemodi fidem in cordibus hominum plantauit atque defixit; & cum ipſo Chriſto concludere: Si in digito Dei errores huic fidei repugnantes ex orbe eiecti ſunt, ipſa verò in eorum locum ſucceſſit ac radicata eſt; profectò peruenit in nos regnum Dei. ſed quoniam de hoc argumento in ſecundo libro vlteriùs diſſeremus, non agemus in præſentia pluribus.

Deus quæ ſunt fidei interiùs docet.

Luc. 11.

Quantum igitur ad primos qui Catholici ſunt, non eſt mihi dubium, quin vbi teſtimonia & argumenta quæ ad fidei noſtræ confirmationẽ producemus, legerint, pergratus iis labor noſter futurus ſit, cùm ſuã fidẽ cũ ſacris ſcripturis ſanctorumq́. Eccleſię patrũ monumentis ad amuſſim conuenire intelligent.

Qui verò hactenus in fide vacillarunt, ij omnino in noſtra caſtra tranſibunt, vbi fidē noſtram apertiſſimo Dei verbo eccleſiæ totiuſq. antiquitatis generali conſenſu ſubnixā eſſe cognoſcent. Hæreticis autem, quos tertio in loco numerauimus, idem dicemus quod

Dan. 13. olim adoleſcens Propheta Daniel populo Iſraëlitico, qui pudicam illā Suſannam ab aduerſariis falſò accuſatam, teſtibus eorumque teſtimoniis nō examinatis, temerè & improuidè condēnarant, dixiſſe memoriæ proditū eſt. Reuertimini, inquit, ad iudiciū, quia falſum teſtimoniū locuti ſunt aduerſus eā. Itaq. ab iis peto vt ad iudicium reuertantur. nam illorū magiſtri aduerſarij noſtri aduerſus noſtram maiorumque fidē falſum teſtimonium locuti ſunt. Species formaque virginū Chriſto conſecratarum decepit eos, & ſubuertit

Hæretici falſa locuti ſunt. corda illorum, vt falſum doctrinæ genus excogitarent, quo ſuū inceſtū tegerēt, dum eas

1. Timoth. 5. pro vxoribus habent, quæ etiam ſibi damnationem acquirunt, quia primam fidem virginitatis obſeruandę quam Chriſto deuouerāt, irritam fecerunt. Sic olim Suſannæ pulcritudo ab illis iudicibus ſenibus appetita, in cauſſa fuit, vt contra ipſius pudicitiam falſum teſtimonium dicerent. Reuertimini igitur ād iudicium ô Chriſtiani, ſintque vobis ſuſpecta talium hominum teſtimonia, Chriſtoq. potius

potiùs & verbo eius credite, quàm cuiquam mortalium, quamuis ille doctus atque eloquens eſſe, ac veriſimilia adferre videatur. Omnis ſiquidem homo mendax, verbũ autem Domini manet in æternum. Nec quidquam aliud à vobis petimus, niſi vt ſcripturarũ teſtimonia, quæ ad fidei noſtræ cõfirmationem proferimus, perlegatis, quæ ſi ſuo ſenſu exponantur, quod de hoc ſacramenti myſterio credimus, luculẽter oſtendunt. Quòd ſi aliqua veſtræ ſalutis cura vos tangit, nolite quæſo magiſtrorum veſtrorum ſententiam tam pertinaciter tueri, quinetiam legatis, audiatis, cognoſcatis, quæ ratio veſtros maiores impulerit, vt vos ea fide, quam deſeruiſtis, imbuerent. In negotio tanti põderis, in cauſſa tam graui ac ſancta temerè quidquam agere aut affectibus dare, extremæ profectò ac nimis pernicioſæ dementiæ eſt. Peto igitur à vobis, vt quemadmodũ abhinc aliquot annis, cũ eſſet is ex noſtris, curioſitate quadam adducti concionatores illos fidei noſtræ inimicos libenter audiebatis, eorumque opuſcula legebatis, quantumuis hoc prohiberet eccleſia; ita nunc facere velitis niſi fortè illud metuitis, ne veritatem inueſtigando reperiatis. Reuertimini igitur ad iudicium, & quàm impiè nos fidemque noſtram condemnaueritis, quàm temerè ac improuidè

Pſal. 115. Eſa. 40. 1. Pet. 1.

In re graui temerè agere dementia eſt.

eam abiuraueritis, in ſecundo examine forſitan intelligetis. ſed hæc in præſentia hactenus vobis dicenda exiſtimo.

Quod ad omnes in vniuerſum attinet, huius cauſſæ dignitatem tantam mihi eſſe perſuadeo, vt ſi apud ethnicos hæc mihi habenda eſſet oratio, ipſius cauſſæ ſtatus mihi attentionem ac beneuolentiam compararet. quæ apud Chriſtianos peroranti mihi defutura non arbitror, præſertim cùm parentum & ſuorũ & meorũ patrociniũ ſuſceperim. Filium accuſatorẽ patris deteſtatur ipſa natura, & quantacumq. crimina admiſerit pater, tamen qui inter gẽtiles illius patrociniũ ſuſceperat filius;ſumma cum attentione ac beneuolẽtia auditus nõ ſine laude diſceſſit. Quid apud Chriſtianos, quibus diuina voce præcipitur, honora patrem tuum & matrẽ tuá, vt ſis longæuus ſuper terram;nónne filius aduocatus patris gratior eſſe,ſuoq. officio præclarè functus exiſtimari debet? Eſt igitur mihi longè honeſtiſſimum facinus,parentũ meorũ dignitatẽ nomenq. defendere, maximè cũ & ab ingrata poſteritate accuſati,nullius ad huc criminis erroríſve conuicti ſint; & mihi ſatis cõſtet eos calumniá pati, iiſq. tá grauia nefariaq. hæreſcos ac idololatriæ crimina, quòd poſteros ſuos eadẽ impietate imbuerint, non abſque ſua ſumma iniuria falsò inuri.

Exod. 20.

Parentũ cauſ ſam tueri piũ eſt.

QVAM

QVAM TVRPIS, INHONESTA ET INIQVA SIT

hæreticorum cauſſa, propterea quòd ſuos patres maioréſque nefariè oppugnant:

CAPVT II.

IN ADVERSARIIS multa ſunt, quæ illorum cauſſam iniquam ac turpem efficiunt. illud in primis, quòd parentibus, auis, abauis, tritauis, ceteriſque maioribus ſuis, qui omnes eandem, quam & nos religionem fidemque coluerunt, furiale bellum indicunt. Quamquam enim aiunt, ſe niſi nos, oppugnare neminem, ſi quid tamen erroris aut mali fidei noſtræ eſſet admiſtum, reuera in maioribus noſtris totum crimen hæreret, iiſque adſcribendum eſſet. quis enim alius Lutherum, quis Caluinum, Bezam, alioſque eius farinæ noſtram docuerat fidem? noſtram inquam: hanc ſiquidem illi nobiſcum ſemel imbiberant. quod eos certè non fugit, ſi verum dicere non grauantur; & eorum condiſcipuli hoc ita ſe habere teſtantur. Itaque ſi in hac cauſſa ipſius iuris natura ſpectatur, accuſandi erunt maiores noſtri qui poſteros ſuos tali doctrina fideque imbuerunt. qui tali doctrinæ liquore ab infantia imbuti, flagris, verberibus, mi- *Hæreticorum impietas oſtēditur.*

 nis hanc

nis hanc ſuſcipere cōpulſi, eos qui cōtrarium docere tentabant, tamquā hęreticos igni cremari cōſpicati, à quouis ęquo iudice abſoluerentur. Hic igitur diligēter inquirendū eſſet, qui ex maioribus noſtris primi fuerint fidei noſtræ ac religionis auctores; quæ ſi falſa eſt, ij demū accuſandi ſunt. Quòd ſi quis in patrē meū agere velit, ſat ſcio illū in auū meū crimen (vt ita dixerim) reiecturum. is ſiquidem, cùm adhuc puerulus eſſet, ab hoc ita in primis inſtituebatur, vt & miſſæ ſacrificio deuotus intereſſet, & Chriſtum in eo cùm poſt conſecrationem eleuabatur hoſtia, religioſè adoraret, Deumque ſuum in ea eſſe crederet, & beatam virginem Mariam alioſque ſanctos in cælo cum Chriſto regnātes piè veneraretur, & pro parentum ſuorum defunctorum animabus preces funderet, aliaque huiuſcemodi, quæ ab illis nos quoque à pueris accepimus, docebatur. Quòd ſi in auum meum egeris, is rem totam in abauum meū, ille in tritauum, atque ita ordine in maiores ſuos quiſque reiiciet. Inter quos etſi à noſtra ætate vſque ad milleſimum & quingenteſimum annum omnes enumeres, cui hoc poſſet adſcribi, vt fidei noſtræ primus inuentor ac auctor eſſe videatur, reperies neminem. Porrò hæreticorum, qui in eccleſiam Chriſtianam ſuperioribus ſæculis irrepſerunt,

ſerunt, alia eſt cauſſa. nam qui illorum principes, qui errorum auctores fuerint, quando aut cœperint aut deſierint, facilè reperitur. Ex maioribus verò noſtris qui fidei noſtræ inuentor auctórve fuerit, neminem inuenies. cuius criminis ſi accuſentur, toties illud in ſuos quiſque maiores reiicient, vt ad Apoſtolos eorumque diſcipulos tandem venire neceſſe ſit, in quos excogitatæ fidei noſtræ ſarcina deuoluetur, atque ita patres maioreſque noſtri tanto crimine, ſi tamen ipſam fidem retinere ac defendere crimen eſt, omnium ſuffragiis abſoluentur. Quidquid ſit, ipſius fidei ſiue inuentio ſiue corruptio nobis monachis iure adſcribi non poteſt. nam inter antiquos illos maiores noſtros quærendi ſunt eius auctores. Chriſtus denique redemptor noſter firma petra primuſque eccleſiæ Apoſtolicæ doctor eſſe inuenietur, in quo omnis ædificatio cōſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino; in quo vtinam ipſi coædificarent, vt nō deciperentur: ab ipſo autē tamquā è veritatis fonte, ab eiuſque Apoſtolis fides noſtra deriuata eſt. *Chriſtus primus eccleſiæ doctor.*

Eſt igitur hæc præcipua (vt antè dicebamus) controuerſiæ noſtræ quæſtio, fuerintne maiores noſtri Chriſtiani an non. ſi Chriſtiani fuerunt, num illorum exemplum filiis imitari licebit? Aduerſarij Chriſtianos, *Ephes. 2.*

veroſque fideles fuiſſe negant, eoſque euangelium ac fidem Chriſti impiè adulteraſſe, & veritatis lumen filiis ſuis celaſſe contendunt, nos contrà defendimus. Et quoniam illos pari cum iis temeritate non damnamus vt & nos vlciſcantur, & populi animos in noſtri odium inflamment, in nos calumniam retorquentes, clamant ac perſtrepunt, nos ſacerdotes ac monachos fidem hanc fabricaſſe, quam tamen ſolam, antequam aliquis ex nobis ſacerdos crearetur, à noſtris illorumq. maioribus tamquam germanam ac veram Chriſti fidem ſemper habitam conſtantiſſimeque retentam ſciunt. Vnde & hac ipſa nos imbuerunt, ſine qua verè intelligebant ſalutis rationem nobis conſtare non poſſe. Quæ cùm ita ſint, ſi fortè errarimus, æquius erat certè nos miſericordia proſequi, quā velut impoſtores ac ſeductores immortali odio perſequi; præſertim cùm à pueris, quādo bonum à malo diſcernere non poteramus, nos in hac inſtitutos, hanc minis ac plagis diſcere coactos fuiſſe conſtet. Itaque ratio ipſa & æquitas in hac cauſſa poſtulat, vt ſi quid erroris fidei noſtræ eſſet admiſtum, tota culpa in patres noſtros, qui ita nos credere coëgerunt, reiiciatur. Nemo igitur alius quàm ipſi, apud iuſtum iudicem iure argui poteſt. Totum ergo accuſationis pondus (vt ad propoſitum

Hæretici ſine æquitate procedunt.

poſitum reuertamur) in noſtros illorumq́ue patres deuolui manifeſtum eſt. Apud Rhetores plura ſunt cauſſarum genera, quaſdam enim honeſtas, alias turpes eſſe definiunt. Inter turpes enumeratur ab iis, cùm filius aut patrem accuſat, aut in eum teſtis eſt, aut denique in patrem capitalem ſententiam profert. Quis autem ex iis, quæ iam diximus, non videat patres ſuos ab aduerſariis non ſolum nefandorum criminum accuſari, verùm etiam æterna morte damnari; à nobis verò eoſdem accuratè defendi? Eſt igitur aduerſariorum iniqua turpiſq́ue cauſſa; noſtra autem ſingulari cum honeſtate & æquitate cōiuncta. Ceterùm quod ad nos ſpectat, ſi quid in aduerſariis humanitatis aut cōmiſerationis eſſet, ſuos ſectatores longè aliter monerēt, ac huiuſmodi oratione apud eos vterentur: Fratres & diſcipuli ignoſcite ſacerdotibus, ignoſcite monachis; maiores enim noſtri in illos impij ac ſceleſti fuerunt: veram ſiquidem fidem pro ſua libidine primùm adulterarunt: deinde vitiatam iſtis ſuis filiis tradiderunt. Quid ergò commeruerunt iſti, qui noui nihil excogitarunt? cur tanto odio perſequimini eos qui traditæ fidei nihil addiderunt? Si illis diuini ſpiritus gratia defuit, qua ſuum, quemadmodum & nos, errorem agnoſcerent; miſericordia digni ſunt, iiſq́ue

Plura cauſſarum genera.

Cōmiſeratio aliqua ſaltem in hæreticis eſſe deberet.

i. compaſſionem.

συμπάθειαν potius exhibere,quàm conuiciis plagis,cædibus,incendiis, direptionibus bonorum in eos innoxios ſæuire debemus. neque enim illi hunc, quo mundus inuoluitur, pepererunt errorem. Quòd ſi in ſua fide retinenda tam pertinaces ſunt, vt videmus, quis illorum conſtantiam non miretur? certè ſi veritatis lumen agnoſcerent, ac nobiſcum ſub euangelij ſignis militarent, fidem noſtram non minore animi fortitudine ac virtute defenderent, quàm ſuam retinere ac tueri ſolent.En qualis illorum,ſi,vt ipſi aiunt, erraremus,eſſet oratio.

Hæreticorum impia obiectio proponitur.

Sed fortè iuſtas in nos odij & inſectationis cauſſas ſe habere contẽdent,propterea quòd in primis Dei beneficium, quo tales Apoſtolos ad reformandum orbem fidemq́ue Chriſti ab hominibus deprauatam ac corruptam, reſtituendum, & ipſius Euangeliũ, quod ante iſtos per 1500. annos nullus intelligebat, explicandum noſtro ſæculo miſit,reſpuimus. Deinde, quòd illos non modò non ſuſcipimus, verumetiam ſummo ſtudio, ne quiſquam ſuſcipiat, enitimur. Patres autem ſuos aiunt tantũ Dei beneficiũ, ſi illis oblatũ fuiſſet, nũquã fuiſſe repudiaturos, neq. cõmiſſuros, vt tales tantoſq́ue Prophetas, ſi ad illos à Deo miſſi fuiſſent, reiicerent; ſed potiùs obuiis manibus excepiſſent, eorumq́ue ſalutarem

em doctrinam amplexi, fidem illis accommodaſſent. ita illos in ſuo errore excuſandos putant, ſed non æquè nos, qui illis longè feliciores videmur vel hoc nomine, quòd iſtorum prophetarum carnificinam noſtro ſæculo experti ſumus. Quid habent aduerſarij præterea, quod ad ſui purgationem, & ad tegendam iniuriam, quam nobis inferunt, poſsint obtendere? Immanem autem illam atrocemque ſententiam, qua fratres noſtros crudeliſsimè trucidarunt, quo iuſtitiæ prætextu adumbrabunt? Quidquid autem dixerint, facilè refutabimus; nam quòd in primis queruntur de nobis, quòd eos non recipimus, quis non videat nos religione impediri, cùm ſacræ ſcripturæ præceptis, & ipſius Chriſti Apoſtolorumque eius admonitionibus & mandatis id facere prohibemur? neque enim omnibus, qui Chriſti Apoſtolos, ſanctumque Spiritum habere ſe dicunt, credendum eſt. Siquidem illud & pſeudoprophetæ & pſeudoapoſtoli olim facere conſueuerant, & omnes ſuperiorum temporũ hæretici ſe à Deo miſſos eſſe iactabant. Quid enim Mõtaniſtę? nónne paracletũ in inſanas illas mulierculas veniſſe dicebant? quid Enthuſiaſtæ? nónne quidquid ſomniabant, id à Spiritu ſancto, què huiuſmodi ſomnia ſibi immittere arbitrabantur, proficiſci dicebant?

Hæreticorum impia obiectio diluitur.

Matth. 24.

Marc. 13.
Epheſ. 5.

Quæ

1. Ioan. 4. Quæ cùm ita ſint, non abs re Ioannes Apoſtolus nos admonet dicens: Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. Si igitur iſti fidem ſibi adhiberi volunt, extraordinariam ſuam miſſionem à Deo eſſe idoneè eos probare neceſſe eſt. nam in iis ex quibus animarum noſtrarum ſalus pendet, fugienda leuitas eſt. ſi enim falſum prophetam pro vero amplecteremur, actum eſſet de ſalute noſtra.

Vocatio diuina quibus teſtimoniis probari ſolet.

Duo autem ſunt modi probandi vocationem aliquorum eſſe diuinam. Aut enim diuinæ ſcripturæ auctoritate nitantur neceſſe eſt; quemadmodum Ioãnes Baptiſta: aut miraculis, quomodo Moyſes: aut vtroque modo, quod Chriſto familiare fuit, qui Iudæos ad ſcripturæ ſanctæ, & operum ſuorum, quibus illum Meſſiam eſſe cognoſcerent, conſiderationem mittebat. Quid Apoſtoli? nónne vocationem ſuam infinitis miraculis comprobant, quæ in veritatis eorum doctrinæ teſtimonium eorum prædicationi cooperando Dominus edebat? Iſti verò noui Apoſtoli quem diuinæ ſcripturæ locum proferunt, quo aut ſe venturos fuiſſe, aut diuinitùs eſſe miſſos probent? Ego certè nihil huiuſcemodi adhuc vidi. nullus enim vmquam

Ioan. 1. Exod. 7. & ſequen. Ioan. 5. Ioan. 10. Matth. 16.

Hæretici nullo teſtimonio

vmquam Propheta, qui nouam aut legem aut fidem (bonam inquam ac veram) in mundum allaturus ſit, veniet. In Euangelio certè nonnulli ante ſæculi conſummationem venturi eſſe memorantur, ſed, ni fallor, pſeudoprophetæ, & ipſe Antichriſtus, quorum officium eſt multitudinem à fide Christi veraque religione deducere. Si igitur hæc ſcripturæ loca ad aduentus ſui comprobationem iſti reiiciunt, quæ alia aſſumere poſſint, non video.

vocationem ſuam probāt.

Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. Dan. 9. Ioan. 16.

Sed de illorum aduentu multa prædicta ſunt, vt vbi adeſſent, memoria repeteremus, id nobis fuiſſe prædictum: atque ita vigilantes eorum inſidias, quibus nos circumuenire conantur, ſollicitè caueremus. dicunt nihil eſſe credēdum niſi quod ſacris litteris continetur. Vtar ergo eorum conſilio; & quoniam eos à Deo miſſos eſſe ſcriptura non dicit, nec alicuius illorum nomen in Bibliis inuenitur, non credam, etiam ſi millies ita eſſe iurarent. ſed à diabolo potius miſſos eſſe eorum opera ſathanico ſpiritu plena comprobant. & ſic cuius ſpiritus ſint cognoſcimus, vt ipſis credere non debeamus.

Secundò nulla edunt miracula; neque ſignum aliquod, ex quo illos à Deo miſſos eſſe intelligamus, adhuc vidimus. Immo verò qui ex iis miracula edere conati ſunt, nihil

efficere potuerunt. Quod ipſi Luthero acci-
Cochlæus. dit, qui cùm quendam ſocium ſuum in Albi
flumine ſubmerſum à mortuis excitare co-
naretur, vbi multa illius auribus inſuſurraſ-
ſet, operã perdidit, nec mortuus ille ſurrexit.
Cùm igitur aduerſarij neque vllum ſcriptu-
ræ teſtimonium habeant, neque ſignis vllis
editiſve miraculis ſe à Deo miſſos eſſe proba-
re poſſint, nec eos recipere, nec iis fidem ha-
bere debemus, quamuis ex ſuperbia præclarè
de ſeipſis & loquãtur & ſentiant. Credere ſi-
quidem in iis eſſe Spiritũ ſanctũ, antequam
1. Ioan. 4. id probetur, Apoſtoli Ioannis vetat auctori-
tas. Probationem requirẽti mihi nullum ne-
que ſcripturæ neque miraculorum teſtimo-
nium adfertur, ſed tantum, ita illi aiunt, dici-
Petitio principij in hæreticis eſt. tur. Hoc autem ſophiſmatis genus eſſe dico,
quod à philoſophis petitio principij nomina-
tur. id fit cùm aliquid per ſe ipſum quis pro-
bare conatur; vt cùm volo mihi probari vo-
cationem illorum diuinitus eſſe factam, nec
mihi ad hoc probandum vlla alia ratio adfer-
tur, niſi hæc, ita ipſi aiunt, & tamen antè di-
cebam mihi iſtud verbum, aiunt, eſſe ſuſpe-
ctum, propterea quòd ſignificat nihil aliud
Pſalm. 115. niſi homines, ac proinde mẽdaces, qui aiunt.
Quorum profectò non eſt tanta auctoritas,
vt ſatis idonea ſit ad cogendum quemquam,
vt pro illorum libidine maiorum ſuorum fi-
dem

dem deferat, cùm ipſi quoque homines ſint, qui pro ſuo arbitrio ſuiſque commodis quidquid viſum fuerit, dicunt. nam ſi ad nutum cuiuſcumque, qui ſe Spiritum ſanctum habere diceret, fides mutanda eſſet, eam certè quotidie mutaremus.

Vnde concludo, neque à me neque à quoquam fideliũ, propter tam infirmas miſſionis ſuæ probationes, eos recipiendos eſſe. immo verò tales fugere, nec iis vllam fidem adhibere debemus, dicente Domino per Prophetam: Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi camus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis; non audies verba Prophetæ illius aut ſomniatoris: quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat vtrum diligatis eum an non, in toto corde & tota anima veſtra. Quibus verbis Prophetam nouum doctrinæ genus fidei noſtræ contrarium adferentem ac prædicantem omnino audire prohibemur. Alibi quoque idem Moſes hortatur ac præcipit, vt veritatem à patribus noſtris maioribuſque diſcamus. Interroga, inquit, patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi. Et Eccleſiaſticus:

Deut. 13.

Hæreticos fugere oportere oſtenditur.

Deut. 13.

Deut. 32.

Non

Non te prætereat narratio ſeniorũ, ipſi enim
Eccle. 8. didicerunt à patribus ſuis. Quoniam ab
ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſ-
ſitatis dabis reſponſum. Et Hieremias admo-
Hiere. 6. net dicens: Hæc dicit Dominus: ſtate ſuper
vias, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ
ſit via bona, & ambulate in ea. & Paullus A-
1. Timoth. 6. poſtolus præcipit vt deuitemus profanas
vocum nouitates, alibi quoque doctrinis in-
Heb. 13. quit variis & peregrinis nolite abduci.

Aduerſariorum ſanè doctrina noua varia, peregrina eſt. Quis enim mortalium in toto orbe terrarum ab hinc quinquaginta annis talem habebat fidem, qualem iſti pro fide Christi nobis ingerunt? Quæ noua religio rectè dicta eſt, vt ipſum nouitatis nomen illorum doctrinam nobis ſuſpectam ſtatim redderet. Quale autem illud eſt, quod iſti per nongentos & amplius annos fidei lumen in toto orbe exſtinctum fuiſſe dicunt, ſeque veniſſe vt illud denuò accẽdant mundoque reſtituant? Quod adeò falſum eſt, vt Christus numquam verum dixerit, ſi hoc verum eſt.

Noua hæreticorum doctrina ſe ſuſpectam eſſe oſtendit.

Dan. 7.
Luc. 2. Prędixit, Euangelicam legem ac fidem æternam fore. Ego pro te, inquit, rogaui Pętre, vt
Luc. 22. non deficiat fides tua. Et alibi: Portæ inferi
Matth. 16. non præualebunt aduerſus Eccleſiam. hæc Dei verba falſa eſſent, ſi aduerſariorum vera eſſet oratio, quam illi de eclipſi fidei ac Euangelij

angelij per 600. aut 900. aut 1000. annos contra expreſſum Dei verbum impudentiſſimè commenti ſunt. Ego verò, vt ingenuè dicam quod ſentio, Chriſtum Dominum mendacij arguere nequeo. idcirco illis fidem adhibere aliqua ratione non poſſum, cùm ſe à Deo miſſos eſſe prædicant, vt fidem tot ſæculis exſtinctam ac perditam, & nunc demum à ſe inuentam orbi reſtituant. Illud quoque adiiciam, me magnopere vereri, ne iſti ſint illi pſeudoprophetæ & fures, qui ouina pelle contecti, & tamen interius lupi rapaces, ad nos venturi eſſe dicuntur. Metum autem mihi ingenerat & auget fructuũ, quos eorum doctrina producit, contemplatio. Quæ ſanè doctrina luporum ac furum qui iuxta Chriſti ſententiam veniunt, vt rapiant, diſperdant, oues furentur & mactent, facta non improbat. Fur non venit, inquit, niſi vt furetur & mactet & perdat: lupus autem rapit & diſpergit. Cùm igitur audirem prophetas veſtros ac verbi miniſtros factos eſſe duces & anteſignanos eorum, qui per Galliam latrociniis, expilationibus, cædibus cuncta vaſtabant; confeſtim mihi venit in mentem, illos eſſe fructus ex quibus Chriſtus fures & lupos ouina pelle contectos agnoſcẽdos eſſe prædixerat. Nullus ergò miretur, ſi iſtos pro veris prophetis recipere, iiſq. fidem

Matth. 7. *Ioan. 16.*

Hæretici ſub ouina pelle occultati oſtenduntur.

Ioan. 10.

Ex operibus ſuis cognoſcuntur hæretici quales ſint.

Matth. 7.

adhibere non poſſim. Ipſi etenim ad eos tamquam falſos prophetas improbandum & reiiciendum anſam mihi ſatis idoneam præbuerunt. Alioqui ſi à Chriſto Domino toties admonitus, iſtos, qui de ſuæ doctrinæ prophetiæque arbore tam importunos fructus, tam acerba poma decerpunt, pro veris prophetis amplecterer, quibus verbis me apud ipſius tribunal purgarem? qua me oratione defenderem? Nihil eſt igitur quod verear ne mihi Deus vitio vertat, quòd illos complexus non ſum, cùm per filium ſuum ne id facerem ipſe me monuerit. Nihil ergo, quod ad illos pro veris prophetis recipiendos mihi neceſſitatem adferat, adhuc video; contrà permulta, quæ mihi illos falſos prophetas eſſe perſuadent, ſigna & argumenta perſpicio. Ex quibus ſanè definio, neque me, neque fidelium quemquam illos pro veris prophetis amplecti debere. immo verò donec ab aliquo meliore ſpiritu ſe agi probauerint, tamquam pſeudoprophetas fugere illos ac vitare debemus.

Matth. 7

Ex eodem fonte reſponſum haurimus, quo crimen illud, quod nobis ſecundo loco (videlicet quòd aliis fidelibus ne illos recipiant impedimento ſumus) aduerſarij obiiciunt, diluamus. quibus reſpondemus, nobis ita eſſe faciendum. Cùm enim perſpicuum

ſpicuum nobis ſit, illos à Spiritu ſancto ſe miſſos eſſe, ſatis probabiliter docere non poſſe, fratres noſtros Chriſti fideles, vt ab iis caueant, donec id clarius demonſtrauerint planumque fecerint, monere debemus. Quod ad me attinet, ſcio omnem hominem, qui illorum doctrinam receperit, ac in ſuſcepta opinione perſtiterit, ad æternas pœnas cum dæmone eſſe damnandum, Deum ipſum ſanctoſque angelos ac beatos omnes cum Chriſto regnantes hoc ita ſe habere teſtor. Cùm igitur eos, qui fidem noſtram deſeruerint, in æternas pœnas damnatos iri certò ſciam; valde improbus & ſceleratus eſſem, ſi eos impendentis periculi non admonerem. Væ etenim mihi ſi tacuero. Quantum (rogo) ſcelus, quàm inmane periculum eſſet, videre tantum incendium, quo fratrum meorum animæ in æternum cruciandæ ſint, nec eos vt illud vitent, tantumque diſcrimen effugiant, admonere? Quod vbi facio, fideleſque moneo ne ſe ab iis circumueniri capique patiantur, ipſi quoque aduerſarij meo beneficio obligantur. nam & pauciores eos ad interitum properantes ac præeuntes ſequentur, & ipſi hac de cauſſa leuius punientur. quanto enim pluribus fuerint perditionis auctores, tanto apud inferos acriùs torque-

Fratribus cōſulendum vt hæreticos fugiant.

Eſa. 6

torquebuntur. Nec dubito, quin Lutherus iam ab Abrahamo libenter impetraret, quod is olim diuiti denegauit, nimirum vt ad fratres ſuos Lazarum mitteret, qui vt ſuperioris vitæ pænitērent eos admoneret, ne & ipſi in tormentorum loca, in quæ ille præcipitatus eſt, veniant. Certè Arrij pœna (vt ait Auguſtinus) nondum definita eſt, ſed in dies ſingulos augetur & creſcit. ita de omni hæreſiarcha falſoque propheta iudicandum eſt. ergo eorum vtilitati conſulitur, cùm ne eos ſequantur homines admonentur. Tanto igitur à nobis accepto beneficio par erat eos nobis gratias agere, tantum abeſt, vt nos hac de cauſſa odiſſe & perſequi debeant. Quod etſi iam audire nolunt, erit tamen aliquando, cùm id ita ſe habere ſuo malo intelligent: ſed tum ſerò ſapient, cùm vana atque infructuoſa pænitentia, quòd noſtris conſiliis noluerunt credere, mordebuntur.

Hæretici gratias quibus agere debent.

Sed iſtos miſſos faciamus, & ad tertium, quod aduerſarij pro ſuis maioribus dicere ſolent, veniamus. Quid igitur illud eſt? Si maiores noſtri hodie viuerent (inquiunt) nobis crederent, noſtram doctrinam obuiis manibus exciperent: ſed Deus eos tanto munere ac beneficio dignatus non eſt, vt tales tantoſque prophetas eorum ſæculo miſerit. Nos verò contrà, illos ter quaterque beatos fuiſſe

dicimus,

dicimus, quòd Deus ea tempeſtate tantam pſeudoprophetarum ac hæreticorum colluuiem, quantam hoc noſtro miſerrimo ſæculo ſenſimus, exoriri paſſus non eſt. Neque enim ſeditionum procellas, bellorum turbines, Eccleſiarum direptiones, templorum euerſiones, liberorum ſuorum atrociſſimas cædes, aliarumque calamitatum lernam ac iliada malorum, quæ ſecum hoc nouum Euangelium in orbem inuexit, illi ſenſerunt, aut aliquando viderunt. Quod ſanè magnum erga illos Dei beneficium fuit. Cùm igitur aduerſarij negant, tanto munere Deũ maiores ſuos fuiſſe dignatum, vt ad illos huiuſcemodi Prophetas miſerit; credo eos verum dicere, ſed quemadmodum ego accipio. neque enim Dei beneficium eſſe arbitror, cùm in mundum iſti veniunt, ſed potius ſupplicij genus, quod Deus iratus, cùm iſtos ad nos puniendum venire permittit, iuſtè nobis infert, eſſe cenſeo. Magno ergo beneficio eos obligat, quorum ætas iſtorum nõ ſenſit audaciã. Quòd ſi quis illi, qui iſtos miſit, gratias agendas putet, ego certè non puto. nã qui fieri poſſit, vt illi, qui & mihi, & propinquis, & amicis meis percuſſores & carnifices mitteret, gratias agerem? Chriſto de virgine nato angelus gaudiũ magnũ annunciauit vniuerſo mundo: ſed ſi quis Angelus ante

Hæreticorum aduẽtus ſupplicium fuit.

Luc. 2.

ſexennium huiuſmodi prophetarum, qui talia facinora deſignarent, ac tantam reipublicæ cladem adferrent prænunciaſſet aduentum, nę ille toti mundo triſte nuncium attuliſſet. quis enim vel in ſe, vel in ſuis illorum crudelitatẽ ſæuitiamq́. non ſenſit? Nihil eſt igitur cur ei qui iſtos miſit, gratias agamus.

Secundò, verum eſſe confiteor quod iſti dicunt, maioribus ſuis huiuſcemodi prophetas à Deo miſſos non eſſe. cùm enim tales in mundum veniunt, non Deus, ſed diabolus eos mittit, aut certè à ſeipſis miſſi veniunt, de quibus Dominus conqueritur per prophetam: Non mittebam, inquit, prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Verum eſt igitur, Deum neque huiuſcemodi prophetas maioribus noſtris miſiſſe, neque illos tali beneficio dignatum eſſe. neque enim beneficium eſt, cùm tales veniunt, neque cùm veniunt à Deo, ſed à Satana mitti ſolent. Sed quomodo ipſi accipiunt, quod dicunt falſum eſt. nullum enim qui talia axiomata ſententiaſque defenderet ac doceret, qualia iſti & defendunt & docent, ante illos fuiſſe ſentiunt. Quod falſum eſt, nihil enim noui proferunt, nihil neque boni neque mali dicunt, quod non dictum ſit priùs, vel à ſanctis viris, ſi bonum eſt; vel ab antiquis hæreticis, ſi malum.

Hiere. 23. & 14.

Hæretici à quo miſsi ſunt.

Falſò

Falſò igitur ſe primos ſuæ doctrinæ inuentores eſſe gloriantur. Ante quingentos ſiquidem annos Berengarius contra realem (vt loquuntur) corporis Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento præſentiam, eundem docebat errorem. Cùm autem ignem purgatorium negant, aſſerentes nihil prodeſſe defunctis viuorum preces; quid noui adferunt, cùm ante tot ſæcula (Auguſtino teſte) Aërius id ſenſerit? Porrò cùm ſanctos nec honorandos, nec à nobis orandos eſſe contendunt, quid aliud dicunt, quàm id quod olim Hieronymi ſæculo Vigilantius, & ante illum ducentis annis, Caina hæreſis docuit? contra quos Tertullianus vicinus Apoſtolicorum temporum, & Hieronymus accuratè ſcripſerunt. quod in omnibus aliis eorum dogmatibus facilè poſſemus oſtendere. Nec enim ſuperioribus ſæculis homines iſtis ſimiles defuerunt, qui ea ab inferis excitata maioribus noſtris perſuadere tentarent. Quibus confutatis & victis, errores quoque ipſi communi totius Eccleſiæ conſenſu anathemate damnati ſunt. Quòd ſi quis poſteà exiſteret, qui ea denuò ab inferis excitata, in lucem edere conaretur, is à noſtris maioribus fortiter reiectus ac profligatus eſt. Falſum eſt igitur, iſtorũ dogmata noſtris maioribus inaudita fuiſſe. neque enim ſuperioribus ſæculis quiſquam

In libris de hæreſi.

Hæreſes ab antiquis temporibus deſcẽdere oſtenditur.

fuit, qui ea falſa & hæretica eſſe dubitaret: maximè cùm in publicis conflictationibus illorum axiomata in vtramque partem examinarentur, ac proindè qualia eſſent omnibus perſpectum eſſet. Fiebat interdum & quidem ſæpius, vt nonnulli ea defendere conarentur; ſed confeſtim eorum redarguebatur inſania. Tantum enim valebant leges, vt errores ab antiquis eccleſiæ patribus legitimè condemnatos renouare capitale tum eſſet. Ita maiores noſtri effecerunt, vt ſuo ſæculo & fides ſacroſancta ac inuiolabilis haberetur, & hæretica peruerſitas diu vigere non poſſet, quod vtinã à nobis quoq. eodẽ modo fieret.

Hoc igitur illi in maiorum ſuorum excuſationem tum adferebant: numquam enim prophetæ iſtis ſimiles defuerunt. ſed maiores noſtri, illorum dogmatibus in conciliis ritè perpenſis & examinatis, eos tamquam pſeudoprophetas & hæreticos, vt par erat, cõdemnarunt. Eorum igitur veſtigiis inſiſtentes, aduerſarios pro talibus habere debemus. Maiores etenim noſtri non ſolum fidem hanc quam conſtanter retinemus ac tuemur, nobis pro vera ac legitima tradiderunt, verumetiam poſteros monuerunt, qui talem fidem qualem iſti repugnanti mundo obtrudere moliuntur, eos pro hæreticis eſſe habendos.

Patres anti- Et ne quid illorum diligentiæ defuiſſe videatur,

tur,

tur, errorum omnium, quos aduerſus veram fidem aduerſarij proferunt, confutationes nobis ſcriptas reliquerunt, quemadmodum omnibus iis, qui illorum monumenta viderunt, perſpicuum eſt. Siue igitur de noſtra fide, ſiue de aduerſariorum opinionibus agamus, à patribus certè & illorum opiniones falſas, damnatas & hæreticas, & noſtram fidem veram, ſanctam, Catholicam eſſe didicimus. Quæ cùm ita ſint, nónne in maiores ſuos aduerſariorum accuſatio deuoluitur? nónne in eos declamare, bellumque gerere deberent, non in nós illorum filios qui eorum fidei nihil addendum, nihil noui in hoc genere excogitandum putauimus? *qui nobis contra hæreticos arma reliquerunt.*

Ex iis igitur, quæ ad eorum excuſationes ſuperiùs diximus, ad nos tanto odio perſequendos ac trucidandos, diſcipulorumque ſuorum animos in noſtram perniciem concitandos, iuſtam illos nullam occaſionem habere manifeſtum eſt. atque (vt verum dicamus,) ita nouam ſuam legem ac fidem promulgare cœperunt, vt etiam ſi illam ab ipſo Deo tamquam ex fonte manaſſe conſtaret, id tamen hominibus ſano iudicio præditis perſuaderi nullo modo poſſet; cùm omnibus perſpicuum ſit, illos tam inhumana nefariaque crudelitate hac in re vſos eſſe: vt quantum inter illorum immanitatem ac ſæ-

Inter Apoſtolos Christi et hereticos diſcrimen.

uitiam, & Chriſti Apoſtolorumq́ue eius Euangelium pacis promulgantium manſuetudinem ac lenitatem interſit, nemo non videat. Erat enim illorum mira benignitas, cum ſingulari animi moderatione, temperantia, humanitate coniuncta; iſtorum incredibilis furor immanitaſq́ue perſpecta eſt. Illi terrena calcantes, non templa, non ædes publicas aut priuatas diripiebant: iſtorum inſatiabili auaritiæ ac rapinis nihil ſufficit. Illi non modò neminem occidebant, verùm etiam incredibili philanthropia multos à mortuis excitabant: iſtorum atrocem nefariamq́ue crudelitatem quæ vmquam ſatis explicabit oratio? illa igitur prophetarum & Apoſtolorum Chriſti humanitas, illa manſuetudo, illa lenitas, me tam crudeles ac Martiales, tam auaros ac cupidos concionatores, extraordinarios Dei miniſtros, credere non ſinit. qui etiamſi Dei negotium gererent, tamen ad eum modum vſque adeò alienum, & antichriſtianum agentes, ac Euangelium his rationibus, quibus vſi ſunt, promouere cupientes, omnia euerterent potiùs ac perderent, quàm aliquid proficerent. Vt autem quod ſentio ingenuè confitear, adeò illi ſua nefaria crudelitate, qua in Euangelio ſuo promulgando vſi ſunt, animum meum offenderunt atque abalienauerunt,

nauerunt, vt etiam ſi illorum lex à Deo profecta eſſet; tamen id credere nullo modo poſſem. neque enim exiſtimo Deum adeò bonum ac φιλάνθρωπον, qualis eſt Deus noſter; tam immanibus ſæuiſque miniſtris, quales iſti fuerunt, vmquam vſurum fuiſſe. Nam ſi ſpiritus pacis ac manſuetudinis, qui eſt Dei ſpiritus, illorum animos gubernaſſet, certè humaniores ac modeſtiores in nos fuiſſent, & adhuc eſſent; neque nobis cùm per prouincias aut ciuitates, quas eorum diſcipuli occuparunt, iter facimus, tot eſſent ob illorum ſicas ſubeunda diſcrimina.

Spiritus Dei eſt Spiritus pacis.

Ex tanto tamen malorum fonte aliquid boni hauritur. nam cùm illi oſtendunt, quàm exigua in iis, vel potius nulla ſit caritas, quàm nullus ſit noſtræ ſalutis affectus; qui ſpiritus quàm immitis ac ſęuus eos regat, & ad huiuſcemodi facinora inſtiget, planum omnibus faciunt. Ego certè complures homines noui, quorum animi in fide nutantes ad iſtorum amplectenda dogmata parati erant, niſi ſæuos ipſius doctrinæ fructus maturè perſpexiſſent. Quòd ſi aduerſarij, depoſito quod ſemel in nos conceperunt odio, in ſeipſos redirent, ac de nobis totaque cauſſa ſine affectibus iudicarent, facilè profectò intelligerent, quantam nobis, qui in re

Hæreticorum ſæua opera homines ab eorum doctrina remouent.

Chriſtiana nihil aut innouauimus vmquam, aut mutauimus, iniuriam inferunt, cùm ita nos inſectantur. Nam ſi reipublicæ Chriſtianæ ſtatum, qualem cùm naſceremur inuenimus (neque enim noſtrum erat hic aliquid expungere, vel mutare) talem etiam conſeruandum putamus; cur nobis hac de cauſſa quiſquam ſuccenſet? quòd ſi quid fidei noſtræ erroris eſſet (quod non eſt) admiſtum, quis non videat id non nobis, qui nihil hic mutare auſi ſumus, ſed iſtorum maioribus ſanctiſque eccleſiæ patribus adſcribendum eſſe? Proinde in illos ſolos aduerſarij ſuam rabiem deberent euomere. illud certè cuiuis æquo iudici facilè probari poteſt, nos ab iſtis iniuria peti, cùm ſuos maiores potius oppugnare deberent. Quod cùm aduerſarij faciant, eorum cauſſam & turpem & iniquam eſſe conſtat.

DE

DE INIQVITATE CAVSSÆ HÆRETICORVM, QVI ET *Chriſti ſolius viuorum & mortuorum iudicis, & ſummorum pontificum in Eccleſiaſticis controuerſiis iudicum officium ſibi arrogant & vſurpant.*

CAPVT III.

INIQVAM eſſe aduerſariorum cauſſam hinc quoque ſecundo loco intelligi poteſt, quòd cùm ſolus Chriſtus à Deo patre iudex viuorum & mortuorum conſtitutus ſit, tamen iſti illius officium ſibi arrogant, dum adeò impudenter ac temerè maiores ſuos vita defunctos non ſolum accuſant, verùm etiam tamquam eorum iudices, & quidem ad ignis æterni pœnam condemnant. Quod re vera faciunt, cùm eos mendaces, hæreticos, idolorum cultores fuiſſe pronunciant. Scripturæ verò diuinæ auctoritas omnes mendaces & idolis ſeruientes ignibus addicit æternis: & quamquam aduerſariorum plerique in maiores ſuos tanta crudelitate vti naturaliter horreant, eorumque ſimplicitatem ac ignorantiam excuſent; eos tamen nec à tantis criminibus aptè purgare, nec contra ſcripturæ auctoritatem idololatras ab inferis eximere poſſunt. Nihil enim aduerſus

Ioan. 5.

Hæretici iniquè ſe iudices conſtituunt.

Apoc. 21.

Dei iudicium, nihil contra ſcripturæ veritatem valent. *Ioan. 3.* Quæ cùm incredulos iam condemnatos eſſe diſertè pronunciet, quid hominum iis patrocinium confert? Apoſtoli ſententia eſt: *Heb. 11.* Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. *Apoc. 22.* Diuus autem Ioannes omnes mendaces, & idolis ſeruientes, regni cæleſtis extorres eſſe pronunciat. Quidquid igitur pro ſuis maioribus, quibus idolatriæ crimen impingunt, aduerſarij dixerint, quidquid ad eorum defenſionem excogitauerint, non poteſt eos ab inferis educere, vnde nulla redemptio. Quid quòd pugnantia loqui videntur? *Sibi contradicere hæretici videntur.* cur enim ſuos maiores, qui nobis hanc fidem tradiderunt, potius quàm nos, qui eandem ab illis accepimus, excuſant? tanta ſiquidem eſt fidei noſtræ antiquitas, vt nullus pontificum, nullus epiſcoporum, nullus ſacerdotum vel ſit vel ab hinc mille annis fuerit, cui eius aut inuentio adſcribi, aut corruptio, ſi quam haberet, attribui poſſit. Cur ergo nos cum ſuis maioribus propter eandem ſimplicitatem & ignorantiam non abſoluunt? At verò ſunt (inquient) qui noſtrum errorem redarguant, nec ſuperioribus ſæculis defuerunt, qui maioribus noſtris fidem illorum eſſe falſam perſuadere tentarent, quique omnem lapidem mouerent, vt opiniones à ſe excogitatas, quem-

quemadmodum ſuperiùs oſtendimus, iis pro vera fide obtruderent. quas ſi maiores noſtri numquam amplecti, numquam pro veris recipere voluerunt, cur illos potius quàm nos excuſandos putant? quòd ſi nos iure condemnant, æquius certè erat illos damnari, qui nobis, vt ita crederemus, auctores fuerunt. Antiqua ſententia eſt, qui occaſionem damni dedit, damnum dediſſe videtur. Ita quibuſcumque fucis ſuam conantur adumbrare ſententiam, nos cum noſtris eorumque maioribus, à quibus hanc fidem accepimus, aut condemnari, aut abſolui neceſſe eſt. Quis autem interea non videat, qua temeritate & impudentia ſe in hac cauſſa viuorum ac mortuorum iudices conſtituant? iure igitur ab iis quærerem, quis eos noſtros iudices conſtituit? Latrant in nos illi ac perſtrepunt, magnam nos Deo iniuriam facere, quòd diuos aliquo honore dignamur, qui ſolius eſt Dei. clamant nos Chriſto redemptionis noſtræ mediatori contumeliam inferre, quòd ad beatos cum illo in cælo regnantes aliquando reſpicimus, eorumque apud illum patrocinium poſtulamus. qua in re quod ſolius Chriſti eſt, nos diuis attribuere dicũt. Quanto iuſtius in aduerſarios, qui Chriſti, quem Deus pater viuorum ac mortuorum iudicem inſtituit, officium

Contra hereticos argumẽtum ex verbis ſuis deductum.

officium ſibi tam impudenter aſſumunt, clamare poſſemus? Pater (inquit) omne iudi-
Ioan. 5. cium dedit filio. Diuos autem cum Christo regnantes cùm honore dignamur, ipſius ver-
Luc. 10. bis obtemperamus qui ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.
Matth. 25. Quid, quod in nouiſſimo die, quod vni ex ſuis minimis factum eſt, id tamquam ſibi fa-
Roma. ctum approbabit? Apoſtoli quoque ſententia eſt: Gloria, honor & pax omni operanti bonum. Diuos autem bonum operatos eſſe manifeſtum eſt. Gloria igitur & honor iis profectò debetur.

Sed aduerſarij nobis falſò crimen obiiciunt. neque enim diuis diuinos honores attribuimus, ſed eos tali honore veneramur, qualem parentibus noſtris nos Deus deferre præcepit. Ex quo perſpicuum eſt, hanc Paulli
1. Tim. 1. ſententiam, ſoli Deo honor & gloria, ab ipſis
Diuerſus honor Deo vel Sanctis tribuitur. contra nos præpoſterè citari. Aliud enim honoris genus eſt, de quo hic Apoſtolus loquitur, aliud quod nos ſanctis deferre conſueuimus. ſed hæc aliàs.

Veniamus nunc ad alterum crimen quod nobis aduerſarij obiiciunt, clamantes nos Chriſto Domino iniuriam facere, dum à ſanctis vt pro nobis intercedant petimus. Qua in re non maiorem Chriſto inferimus iniu-
Rom. 15. riam, quàm Apoſtolus inferebat, cùm Ro-

manos,

manos, Epheſios, Coloſſenſes, Theſſalo- Epheſ. 6.
nicenſes, vt pro ſe Deum precarentur, ora- Coloſ. 4. 1. Theſ. 5. & 2. 3.
ret: nec magis honori Chriſti derogamus,
quàm ipſi ſancti derogant, cùm pro aliis de-
precantur. Nam ſi mihi ſanctũ orare non li-
cet, nec illi pro me licebit orare. quòd ſi *Sanctorum*
ſanctum orando Chriſti officium ei attribuo, *ſuffragia im-*
ipſe quoque ſanctus, dum pro me orat, ſibi *plorare licet.*
quod ſolius Chriſti eſt, arrogat & aſſumit.
Atqui ex diuinis litteris conſtat, ſanctos vi-
ros huiuſcemodi officium intercedendi pro
aliis, & ſanè magno cum fructu ac emolumé-
to eorum, pro quibus intercedebant, exerce-
re conſueuiſſe. Vnde Iacobus Apoſtolus ait: Iacobi 5.
Multũ valet deprecatio iuſti aſſidua, nobiſ-
que vt alij pro aliis deprecemur diſertè præ-
ceptum eſt: nec magnopere intereſt, quo in
loco ſancti pro me deprecaturi ſunt, ſiue in
monte, quod pro Iſraëlitis Moſes fecit; ſiue Exod. 17.
in mari, vt Paullus pro iis, qui in eadem naui
erant; ſiue in aëre, vt pro Eliſeo Elias cum Act. 27. 4. Reg. 2.
in curru per aëra raperetur in cælum: ſiue in
ipſo cælo, vt apud Zachariam Angelus pro Zach. 1.
captiuitate Babylonica, & alij angeli & bea-
ti, qui in cælo cum Deo regnant. neque e-
nim orationis natura ac virtus pro loci qua-
litate mutatur. Ita ſi ſancti homines cùm pro
aliis deprecarentur in terra Chriſto media-
tori nullam faciebant iniuriam, cur illam in

Ridicula hæreticorum reſponſio. cælo facere exiſtimandi ſunt? Ridiculum eſt, quod hic aduerſarij reſpondere conſueuerũt. Sancti homines (inquiunt) quouſque in terris vel in aliquo monte verſantur, ſi pro aliis preces fuderint, Chriſti mediatoris honori non derogant: quòd ſi in cælis idem fecerint, Chriſto iniuriam adferunt. Quaſi locus ille beatorum quidquam de humana felicitate detraheret, minuſque apud Deum poſſent ij qui cum illo regnant in cælo, quàm ij qui adhuc volutantur in terra, id eſt, in calamitate & exſilio. *Luc. 16.* Credunt iſti damnatum, æterniſque cruciatibus addictum hominem pro ſuis fratribus orare poſſe, ſeruatum autem ac beatũ hoc ipſum poſſe non credent? O ſimplicem & ingenuam fidem! vel potius dixerim: O cæcam & miſeram ignorantiam!

Sed vt eò vnde digreſſa eſt reuertatur oratio, nos tantam Chriſti in ſanctos ſuos benignitatem ac munificentiam agnoſcimus, vt illos in regni cæleſtis ſuæque hereditatis conſortium acceptos, cum Chriſto regnare credamus: regnare id eſt ſumma auctoritate mandandi, prohibendi, quoſuis adiuuandi præditos eſſe. *Sanctos cum Chriſto regnare quid ſit.* Credimus ergò ſanctos nunc cum Chriſto regnantes, magis auctoritate gratiaque valere, quàm tunc cùm adhuc verſarentur in mundo, calamitatis exſiliique ſui loco. Quam ergò iniuriam facimus Chriſto,

cùm

cùm id ſanctis hominibus attribuimus, quod iis ſe daturum eſſe promiſerat? cuius beneficio ac munere in tantam gloriam ac potentiá, deniq. in illud regnum omnibus bonis, quæ mens humana optare poſſet, refertiſſimum euecti ſunt. Ita quamquam nobis perſuaſum ſit illos gloriæ potentiæque plurimum obtinere, attamen eos Chriſti munere ac beneficio habere cenſemus. Aduerſarij autem dum viuos & mortuos iudicandi officium ſibi vindicant, quas litteras proferunt? quæ ſcripturæ teſtimonia producunt, quibus eam auctoritatem à Chriſto ſibi communicatam eſſe confirment? Certè ſcriptura diſertè iis prohibet, ne quemquam, niſi ſe ipſos iudicent. Nolite, inquit, iudicare; & non iudicabimini. Et Apoſtolus admonet dicens: Nolite ante tempus iudicare, quouſq. veniat Dominus. & alibi eos, qui alienos ſeruos iudicádi officiú ſibi arrogát, redargués & obiurgans ait: Tu quis es, qui iudicas alienú ſeruú? Quaſi diceret, hoc nec tui officij, nec tibi cóceſſum eſt. Igitur aduerſarij dum ad condemnandos nobiſcum maiores ſuos ſeſe ingerunt, ſummorum in Eccleſiaſticis cauſſis iudicum officium ſibi aſſumunt. ea namque ſententia, quam in nos maioreſque noſtros tulerunt, noſque hæreticos & idolorum cultores eſſe pronunciauerunt, pendet ex altera,

Matth. 7. Luc. 7.

1. Cor. 4.

Rom. 14.

quam pro Berengarianis aduerſus Catholicam eccleſiam tulerunt, eo quòd Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in Euchariſtiæ ſacramento verè ac realiter (vt loquuntur) eſſe credit atque defendit: proinde eum in hoc ipſo ſacramento quotidie adorat. Talem autem ſententiam pro Berengarianis ferentes ſupremi in cauſſis Eccleſiaſticis iudicis officium tacitè ac furtim ſibi vẽdicarunt, ad quod gerendum nemo idoneus eſt, nemo ſe ipſum ingerere deberet, niſi legitimè vocatus, vt Aaron & ij qui ei legitimè ſucceſſerunt, Apoſtolus Petrus, & qui poſt illũ eius cathedrã obtinuerunt, ſummi videlicet põtifices, ac Euangelicę legis antiſtites, qui ad huiuſcemodi officium canonicè vocati ſunt, & in quos ea ipſa, quam Petrus obtinebat, auctoritas gubernandi eccleſiam, Chriſtique oues paſcendi, ſucceſſionis ordine deriuata eſt. Iſti autem ſeipſos temerè & extra ordinem ingerentes, cùm neque à Deo, neque ab hominibus ad hoc munus aſciti eſſent, ipſius tamen cauſſæ cognitionem ſemel ereptam ex manibus legitimarum cauſſarũ eccleſiaſticarum iudicum ſibi vindicarunt. Non eſt autem dubium, quin huiuſcemodi auctoritas & iudicandi poteſtas ad ſummos ſacerdotes aut ad generalia concilia legitimè congregata, non autem ad aliquem priuatum homi-

Hæretici quare contra eccleſiam ſententiam tulerunt.

Heb. 5.

Hæretici ſupremi iudicij officium vſurpant.

Deut. 17.

hominem,quantumuis ille ſibi arroget & adſcribat,diuina ſententia deferatur.

Sed bene habet, quòd aduerſarij nullum alium in his controuerſiis iudicem, niſi ſeipſos, recipiendum putant. nam & Romanæ Eccleſiæ catholicæ, & conciliorum generalium, & omnium pontificum in eos ſæpe latas ſententias aſpernantur ac reſpuunt, & ad ſuum tribunal appellant,ſeque incredibili arrogantia, ad pronunciandum de cauſſa, quam à toto orbe aptè definiri non poſſe contendunt,idoneos exiſtimant. Attamen Paullus Apoſtolus ait:Nemo ſibi ſumit honorem, niſi qui vocatus eſt à Deo tamquam Aaron. Heb. 5.
Certè horrendum exemplum Chore,Dathã Num. 16.
& Abiron, qui non vocati, ſacerdotalem dignitatem ſibi inuadere conati ſunt, iſtos talis officij, quod ad iſtos omnino non ſpectat, occupatores terrere deberet,ad quod gerẽdum & exercendum quàm inepti ſint, infrà dicemus, cùm modum, quem de controuerſiis Eccleſiaſticis iudicantes obſeruauerunt, vt & nos, & maiores noſtros hæreſeos,ac idolatriæ condemnarent, oſtendemus.

Cùm igitur aduerſarij officium iudicis inuaſerint,nec eos ab ipſius exercitio dimouere poſſimus,operæpretium eſt animaduertere, quàm præclarè fungantur hoc munere, quãtaque prudentia, maturitate, iuſtitia, æqui-

tate, nos maioreſque noſtros, ac fidem communem iudicantes atque damnantes, vſi ſunt: vt omnibus conſtet, quàm digni ſint qui hunc honorem obtineant. quod perſpicuum euadet, cùm oſtenderimus quàm iniquè & improuidè egerint ac proceſſerint, ſummi iudicis ab illis inuaſum officium exercentes. Id vt faciliùs intelligi poſſit, primo loco quid in idoneo iudice requiratur explicabimus, certaſque leges, quas vt iuſtitiam æquitatemque teneat in iudicio obſeruare debet, perſtringemus. deinde planum faciemus in aduerſariis non eſſe ea, quæ ad iudicis officium pertinent; nec illos rectè iudicandi legem vllam aut regulam (quas omnes cuiuis iudici obſeruandas ipſa ratio præſcribit) hactenus obſeruaſſe.

Optimi iudicis cōditiones proponuntur.

1 In primis igitur eſt neceſſaria legitima & ordinaria dicendi ius auctoritas, quam ſolus Pontifex Romanus præſtare poteſt. deinde tanta ſcientia quanta ad ipſius cauſſæ cognitionem requiritur, eſt neceſſaria, ne inſcitia alteri partium iniuriam inferre compellat, aut certè ad id anſam præbeat. Quod facilè contingeret, ſi materiam, in qua controuerſię cardo vertitur, non melius intelligeret ac perſpectam haberet, quàm ipſi litigatores: alioqui iudicis officium ſuſcipere non debet, ſed illud doctiori ac peritiori cedere.

Secundò

Secundò neminem capitali ſentētia con- 2
demnare debet, niſi prius eum audierit, illiq.
purgandi ſui locum dederit.

Tertiò tota cauſſa ei perſpicienda, ac vtri- 3
uſque partis ius exactè cognoſcendum eſt,
quod non ex narratione partis aduerſæ, ſed
vtramque partem aut certè vtriuſque partis
aduocatos, vel procuratores ſingulorum ius
intelligentes audiendo intelliget.

Quartò temeritatem vitet, caueatque ne 4
ſententiam præcipitet ac ſecum antequam
ſententiam ferat, maturè deliberet, rationes,
probationes, iuriſque declarationes, à ſingu-
lis partibus exhibendas diligenter examinet.

Nec vtramque aurem alteri partium aut 5
accuſatori præbeat, ſed alteram reo ſeruet:
& hac in re Alexandri Magni memorabile
ſequatur exemplum, qui cùm accuſationem
quandam audiret, alteram ſua manu texit
aurem, eamque totam atque integram ſe reo
ſeruare dixit.

Adhæc caueat, ne in odium rei ſe ab ac- 6
cuſatore patiatur abripi. hoc enim plerum-
que callidiſſimi quique Rhetores agunt, vt
in reum iudicis animum incitent & inflam-
ment. Quod vbi erit factū, numquā iudex
in alterā partium ira odióve ſtimulatus, eius
partis ius patienter audiet. Nam (vt ait Cato)
impedit ira animū, ne poſſit cernere verum.

7 Præterea liberam vtriq. parti audientiam concedat, in primiſque curet, ne à ſe aut ab alio nimis, aut quauis alia ratione, alterutra pars terreatur. Complures ſiquidem metu impediti, nec verum liberè audent dicere, & nonnumquam defenſionem ſuam deſerunt.

8 Priuati quoque in alterutram partem affectus deponendi ſunt. ſæpe etenim iudiciũ humanum fauore peruertitur.

9 Nullum autem niſi noxium damnet: non filium pro patris, non patrem pro filij; non alterum pro alterius crimine trucidet; nec in inſontem aliorum eiuſdem conditionis facinoroſorum peccatã deriuet: quemadmodum ſi aliquis nobilis pro omnibus aliis nobilibus, aut mercator pro aliis mercatoribus, damnetur. Sed anima, quæ peccauerit, ipſa damnetur & moriatur, iuxta Domini ſententiam. Ezech. 18.

Hæ ſunt leges cuicumque iudici ſeruandæ, ſi ſecundum Deum, ſuam conſcientiam, rectamque rationem officio ſuo fungi velit: nec vlla ex iis omnibus prætermitti poteſt, quin iuſtitia violetur, & altera partium afficiatur iniuria. Quæ ſi in ceteris cauſſis ſeruandæ ſunt, quanto magis in iſta, quæ tantum habet grauitatis ac ponderis, vt in ea diiudicanda errare, labi, fallere, cùm animarum pretioſo Chriſti ſanguine redemptarum ia-

ctura

ctura coniunctum ſit. Qua in quæſtione non agitur de lana caprina, ſed de capite & de ſalute noſtra; non de vita aut morte temporali, ſed æterna. Si igitur in aliis cauſſis falſum iudicare, cum iniuria & iniquitate coniunctum eſt; in hac quid aliud erit quàm immane ſacrilegium? cùm enim agitur de vita & de ſalute animarum noſtrarum, pura ſimplicitas mentiſque ſinceritas adhibenda eſt, doli verò ac fraudes, quibus vel cauſſa obſcurari, vel iudex, cuius omne ſtudium eſſe debet, vt veritate detecta, mendacium eliminetur, ne verum videat, impediri ſolet, omnino remouendi. Sed tantum abeſt, vt in ſacroſancta religionis ac fidei cauſſa diiudicanda ſupra dictas leges aduerſarij obſeruauerint vt eas omnes ſimul præterierint atque calcauerint; & aut contra id, quod ab illis ipſa ratio & æquitas poſtulabat, fecerint, aut aliis vt ita facerent planè perſuaſerint: quod iam perſpicuum euadet, cùm in maiorum omniumque ſanctorum eccleſiæ magiſtrorum condemnanda fide, quem morem ac ritum illi ſeruauerint, explicabimus.

In ſpirituali ſalutis cauſſa maxima cura adhibenda eſt.

DE HÆRETICORVM STVDIO QVO, VT CHRISTIANOS *fallerent, cauſſæ fidei cognitionem theologis legitimis iudicibus ab eccleſia conſtitutis auferunt, eámque cuilibet alteri è vulgo diuerſæ profeſsionis tradunt; tametſi de illa iudicare non aliorum, quàm Theologorum officium eſt.*

CAPVT IIII.

DIXIMVS in primis ad iudicis officium pertinere, vt is ſatis peritus ac doctus ſit, præſertim in ea arte ac diſciplina, in qua controuerſiæ cardo vertitur; quam vt is planè cognoſcat neceſſe eſt. prætereà illum duobus litigantibus in tali ſcientia doctiorem eſſe oportet. ad doctiorem namque controuerſia deferri ſolet, vt ſtabilis ac fixa ſententia reportetur. *Quis iudex in cauſſis deſideratur.* Cùm autem aliqui docti inter ſe qualibet de re diſſentiunt, ſuamque controuerſiam alterius arbitrio iudicioque ſubmittunt, eum quem ſibi iudicem deligunt, ſe in ea arte ſeipſis peritiorem eſſe tali ſubmiſſione teſtantur. Quis enim eum iudicem, quem ſe imperitiorem arbitratur, non reiiciat? *Anacharſis.* Anacharſis Scytha philoſophus cùm Athenas veniſſet, videretque opificès abſolutiſſima quæq. opera ſua in publico proponere, vt, quis eorum

rum eſſet præſtantiſſimus artifex, populus iudicaret; Athenienſium errorem ſtultitiamque miratus eſt, quòd & illi populum eius artis de qua iudicabat ignarum iudicem admitterent, & ipſe populus vſqueadeò ſuperbiret, vt in ea arte, quam non didicerat, iudícis partes ſibi arrogans auderent ferre ſentẽtiam. Magnæ ſiquidem arrogantiæ eſt, dum aliquis in re quam prorſus ignorat, iudicis officium ſibi aſſumit; magnæ ſtultitiæ, ne dicam inſaniæ notam incurrũt, qui talem in iudicem accipiunt: vt ſi duo peritiſſimi medici, orta inter ſe aliqua de ſua arte controuerſia, neſcio quem alium, qui medicinæ numquam dediſſet operam, iudicem legerent; aut duo theologi eum, qui numquam theologiam attigiſſet; vtrum ne iudices illos, an verò eos, qui tales iudices ſibi delegiſſent, ridẽdos putares? Scitũ eſt illud Apellis, qui cùm imaginem quandam ſcitè pinxiſſet, eaque in publicum prolata, ſutor quidam acceſſiſſet, vt de illa ſententiam ferret; quidquid ille de calceis dicendum putauit, patienter audiuit: vbi autem ille de ſuperioribus corporis partibus iudicare cœpit, Apelles id paſſus non eſt, ſed eum reuocans, ne ſutor, inquit, vltra crepidã. Quibus verbis hoc videtur dicere, vnuſquiſque ſe intra ſuos limites contineat, nec quiſquam de arte, quam non didicit, audeat

Apelles.

Sutor non vltra crepidam.

deat

deat iudicare. Nolebat ille ſutorem de ſuæ imaginis tibialibus ferre ſententiam, ſed tantum de iis, quæ ad artem ſutoriam pertinebant. Ita pictorem de pictura, ſartorem de ſartoria, pharmacopolam de pharmacis, medicum de vrina, iuriſconſultum de iure ac legibus, theologum de theologia, veteranum militem de bello; atque ita de aliis artibus, niſi ei, qui ſuæ artis peritus eſt, credendum eſſe nemini. alioqui magna ſequetur confuſio, ſi abſque diſcrimine vnuſquiſque mittat falcem in meſſem alienam. Felices, ait Fabius, eſſent artes, ſi de iis ſoli artifices iudicarent. In ciuilibus controuerſiis iudices eam prudentiam adhibere conſueuerunt, vt ſi inter aliquos opifices, quemadmodum inter fabros, cæmentarios, pictores, & id genus, aliqua de re, quæ ad illorum artificium pertinet, lis fortè exorta eſt, quoſdam eius artis, de qua controuerſia eſt, peritiſſimos, quorum conſilio de ipſa cauſſa ſententiam ferant, adhibendos putent. Ita iudex, quamuis legum ac iuris peritiſſimus ſit, tamen ea in controuerſia, quæ ad huiuſcemodi artes pertinet, niſi peritorum eius artis, de qua agitur, opinionem ſecutus, numquam ſententiam pronunciabit.

Artifex in ſua arte iudex non in aliena ſit.

Fabius Quintilianus.

Memini me audire doctorem Theologum cuidam conſiliario, qui decreta antiquorum

quorum ac nouorum conciliorum recipienda negaret, propterea quòd illa ſoli theologi confeciſſent, ad hunc modum reſpondiſſe: Si ita eſt, vt dicis, ergo & curiæ veſtræ decreta reiicienda ſunt, quoniam à ſolis iuriſperitis confecta ſunt; & ipſa toga, qua vteris, deponenda eſt, quia ſoli ſartores eam fecerunt, & ipſa calceamenta proiicienda ſunt, quòd ſoli ſutores illa confecerint. Ipſi quoque domus tuæ parietes diruendi ſunt, quos ſoli cæmentarij erexerint. Sed cùm in curia veſtra decretum aliquod conficitis, cur non acceſſitis theologos, medicos, pharmacopolas, ſutores, ipſaſque vxores veſtras, vt de communi omnium ſententia decernatur? Tum conſiliarius, ſanè Theologos, inquit, rideremus, ſi in ciuilibus cauſſis aut legum controuerſiis ſententiam dicerent. Ita nec vobis mirum videatur, ait Theologus, ſi pleroſque veſtrorum falſorum iudicum, cuiuſcumque ſint facultatis, ridemus, cùm eorum futiles vanaſq. ſententias, ridicula decreta, falſa iudicia, opiniones abſurdas animaduertimus, quoties de theologicis controuerſiis pronunciare conati ſunt. Et quemadmodum vobis mirum non videtur, ſi de veſtris controuerſiis iudicantes in errorem laberemur; ita nec mirum eſt, ſi complures iuriſconſulti, qui ſibi theologicarum quæſtionum cognitionem noſtra memoria

memoria vindicarunt, in varias hæreſes inciderunt. Quod ferè iis accidit, qui ſuæ artis lineas tranſilire conantur. Vnaquæque ars, diſciplina, profeſſio totum hominem deſiderat; neque quiſquam eſt tam acuto ingenio præditus, qui in omnibus artibus ac diſciplinis poſſit excellere. quas omnes qui conatur amplecti, nullam tenet; fitque ei ſimilis, qui cùm omnes artes profiteretur, nullam nouerat. Nam, vt Socrates ait: Vnus vnum opus rectè facit. & Euripides: Quam quiſque nouit artem, hanc exerceat. Perſpicuum eſt igitur, Deum omnia in vnum aliquem non conferre, ſed, vt ait Apoſtolus, diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita & in myſtico Chriſti corpore, quod eſt eccleſia, ſunt varia officia, diuerſa miniſteria, diuerſa dona Dei, qui diſtribuit ſingulis prout vult. Cùm ita diſſeruiſſet theologus, conſiliario ſatisfecit; adeò vt eos, qui ſe conciliorum generalium legitimè congregatorum decretis ob cauſſam vſque adeò vanam ac friuolam ſubiicere nollent, grauiter peccare confiteretur. quorum auctoritati niſi mundus cedat, ſeſeque ſubmittat, controuerſiarum inter Chriſtianos de rebus fidei exorta-

Vnaquæque ars totum hominem deſiderat.

Socrates.

Euripides.

1. Cor. 12.

Rom. 12.

Epheſ. 4.

Conciliis generalibus legitimè cõgregatis obtẽperandum eſt.

exortarum nullus vmquam finis reperietur.

Quis autem aptior iudex, quàm vniuerſale concilium auctoritate pontificis conuocatum, ad quod ex toto orbe terrarum eruditiſſimi quique theologorum euocantur, vt de illorum conſilio quæſtiones omnes ac cõtrouerſiæ, quæ de illorum arte diſciplinaq́ue exortæ fuerint, ſopiantur? qui talem iudicem reiicit, quem quæſo probabit? niſi fortè ſe ipſum, qui omnes reiicit atque improbat. Quid autem inhumanius, intractabilius, importunius eo hominum genere, qui controuerſiæ, quam cum altero habent, alicuius iudicio finem imponi nolunt?

Concilium vniuerſale aptus iudex eſt.

Sed vt ad propoſitum reuertamur, nullus in cõtrouerſiis diſciplinarum, quas planè perſpectas non habet, iudicis officium ſibi debet aſſumere, præſertim cùm ex huiuſcemodi diſciplinis hominum vita aut corporalis aut æterna pendeat. Eſt genus medicorum qui empirici dicuntur, qui cùm medicinæ præcepta neſciant, eam tamen artem exercere conantur. qui quàm multis exitio ſint, exprimi non poteſt. Ita & pharmacopolæ complures plurimis exitio fuerunt. Tritum eſt apud Gallos vulgi ſermone prouerbium: A iuuene medico gibboſum cœmiterium. In ciuitatibus autem bene conſtitutis nullus, niſi à doctoribus medicis primùm examinatus & appro-

Empirici.

Gallicũ prouerbium.

In eligendis corporalibus & ſpirituali-bus medicis magna cura adhibẽda eſt.

approbatus,tales artes exercere permittitur. Neque enim hominum vitam perdere ludus eſt. animas autem interficere, idque agere, vt homines vita priuentur ęterna,quanto deterius ſit,quis exprimat? quod ij certè faciũt, qui cùm ſacræ Theologiæ numquam operam dederint,ſe tamen pro ſummis Theologis venditant.Id cùm hodie nemo non audeat, quamuis omnis generis litterarum imperitus ac fatuus, opinionum contra rectam fidem inter Chriſtianos tanta diuerſitas nata eſt,vt & pauci reperiantur,qui veram fidem, ex qua vita ſaluſque animarum pendet, in tanta ſectarum confuſione diſcernant & agnoſcant, & nonnulli ad deſperationẽ quandam adducti,dum quæ ſit optima lex, iudicari non poſſe eis videtur,omnibus ſemel renunciant.

Plurimorum malorum fons quis ſit oſtenditur.

Omnis autem tanti mali cauſſa hoc miſerabili tempore ex eo fonte manat & profluit, quòd multi ſeipſos non aſpiciunt, neq. ſuam imperitiam agnoſcunt, ſed impudentia ſingulari,de omni genere quæſtionis,quantumuis ſublimis ac myſticę,tametſi ei diſciplinæ, in qua quæſtionis cardo vertitur, nullam aut certè perexiguam operam dederunt, temerè iudicant atque pronunciant. Huc accedit inordinatus affectus,quo ferè omnibus inſitum eſt, vt & opinionẽ ac ſententiá ſuá diligant, eamque

eamque aliorum opinionibus anteponi velint, & reliquam partem orbis, vt aliis omnibus reiectis ac damnatis ſuam ſententiam amplectantur, cogere geſtiant. Hæc φιλαυτία vbi hominum pectora occupauit, actum eſt, nec quidquam aliud reſtat, niſi Cimmeriæ tenebræ ſummaque confuſio. Quot enim capita tot ſententiæ; & ita comparatum eſt, vt ſinguli ſuam ſententiam non minoris, quã cuiuſuis alterius æſtimẽt: ita omnes omnium magiſtri eſſe conantur. Quod cùm in theologia fit, qua ſcientia, ex qua ſalus animarum pendet, continetur & conſtat, fieri non poteſt quin in Chriſtiana religione miſerabilis ſequatur confuſio, qualem (prô dolor) noſtra memoria vidimus. Cui ſanè complurium hominum ſæculi noſtri, qui ingenij ſui viribus nitebantur, confidentia, & inſolens audacia ianuam aperuit. qui cùm in politioribus litteris, ac ſæcularibus diſciplinis nonnihil profeciſſent, ſibi alia omnia peruia eſſe exiſtimauerũt; & quoniam in Latinis litteris aut in iure ciuili aliquantulũ promouerant, in ſacræ theologiæ adytũ illotis manibus ac pedibus irruperũt. idq̃. tãta cõfidentia, vt tamquã peritiſſimi magiſtri, de omni theologica cõtrouerſia iudicare, ſentẽtiamq. ferre audeãt, nec minus ſibi tribuãt, quã ſi diuinis litteris operã dãtes, in eo ſtudio annos Neſtoreos cõtriuiſsẽt:

Ingenij ſui confidẽtia hæreticos decepit.

Hæreticorum iactantia mũdo nocuit. Huiuſcemodi hominum arrogantia quantum orbi Chriſtiano noſtra memoria nocuerit, quantum ipſam religionem labefactauerit, quot animabus exitio fuerit, dici non poteſt. Illud autem toto lacrymarũ fonte plangendum, quibus verbis, quo animi dolore exprimam, quòd vineá Domini à quibuſdam bipedibus aſellis, qui ſe quoque ſummos *Domini vineam hæretici depaſcũtur.* theologos haberi volunt, depaſci videmus? ij ſunt homines ſæculi artibus dediti, qui nihil litterarum attigerunt, diſciplinis nullis vmquam operam dederunt, & tamen de ſacræ theologiæ obſcuris quæſtionibus ac controuerſiis, incredibili audacia, non ſecus ac primi ſententiam ferunt, ſeque illas non minus acutè, quàm quoſuis eccleſiæ magiſtros & antiquos doctores, quorum id vnum erat ſtudium, intelligere, tenere, perſpicere prædicant. Ita ſacra theologia ab iſtis Arcadicis *Sacra theologia ab hæreticis laceratur.* pecudibus inter phialas, lances, pocula miſerè laceratur atque diſcerpitur. Quod certè non fieret, ſi diuinæ Theologiæ, in qua excellere, ſummique iudicis officium exercere difficillimum eſt, celſa ſublimitas ac veneranda maieſtas conſpicua iſtis eſſet. Nam, quod de *Domitius Vlpianus.* iuris ciuilis ſcientia Domitius Vlpianus ait, de iuris diuini ſapientia melius & dici & accipi poteſt. Non ſolum, inquit Vlpianus, ſanctiſſima, ſed grauiſſima res eſt, noſtra hæc ciuilis

uilis ſapientia; nec tam facilis aut parabilis, quàm inexperti quidam putant; nec bonarum quidem litterarum, quę maximum alioqui præſtant adiumentum; callentiſſimis. Hoc inquam de ſacroſancta Theologia ſapientiaque diuina, quæ ſanè non tam facilis ac parabilis eſt, quàm inexperti quidam putāt, melius dicitur. Quemadmodum enim ſcire leges (vt ait Iubentius Celſus) non eſt ſolum legis verba tenere, id eſt ſenſum grammaticum intelligere, ſed etiā legis ſcire virtutem atq. rationē, id eſt vſum, effectum, iudicium rectè interpretando, docēdo, conſulēdo, quid agendum, quid fugiendū ſit: hoc demum eſt rectè reſpondere ac iudicare de iure. Ita ſcire legem diuinam, non eſt ſolam Latinorum, Græcorum, Hebręorum verborum ſignificationem noſſe, ſed præterea res ipſas, quæ verbis ſignificantur tenere, cur hoc aut illud verbum ita poſitum ſit intelligere, videre rationem ac circumſtantias, ſenſum perſpicere, ad diſſoluendum omne genus quæſtionum, quæ de iure diuino obiicientur, exercitatum ac perſpicax habere iudicium. Quæ ſanè facultas non ita facilè comparari poteſt, proinde abſolutus theologus admodum rara auis eſt. Tanta eſt enim, vt de ſeipſo loquens ait Auguſtinus, Chriſtianorum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas

Simile.

Iubentius Celſus.

Legem diuinā ſcire quid ſit.

Epiſt. 3. Voluſ.

ſolas ab ineunte pueritia vſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. non quo ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perueniatur difficultate, ſed cùm quiſque ibi fidem tenuerit, ſine qua piè recteque non viuitur, tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca, intelligenda proficientibus reſtant; tantaque non ſolum in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimiſque cupiditate diſcendi hoc contingat quod eadem diuina ſcriptura teſtatur: Cùm conſummauerit homo, tunc incipiet. Hæc eſt Auguſtini ſummi Theologi de ſcripturarum diuinarum difficultate ſententia, ex qua intelligimus, quanta deſiderentur vt in abſolutum Theologum quis euadat; & qua iſtorum, qui ſacram ſcripturam vſque adeò facilem ac peruiam omnibus eſſe mentiuntur, vt quiuis non ſolum eam intelligere, verum etiam explicare poſſit, impudentiam vanitatemque confutat.

Scripturarum diuinarum profunditas proponitur.

Eccle. 18.

Quæ ſanè vana ſententia non modò cum ipſius ſcripturæ veritate, ſed etiam cum ipſa experientia, patrum teſtimoniis, totaque antiquitate pugnat. Nam cùm Petrus Apoſtolorum coryphæus, in beati Paulli Epiſtolis

2. Pet. 3.

quædam

quædam difficilia intellectu eſſe pronunciet, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & ceteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem; nónne iſtorum impudentiſſimam frontem retundit ac reprimit? Et audebunt iſti deinceps os illud impurum aperire, vt ſcripturam adeò facilem intellectu, vt quiuis eam capere poſſit, eſſe dicant; cùm Petrus Apoſtolorum princeps eorum vanitatē tam apertè redarguat? *Impudentia hæreticorum retunditur.*

Quæ cùm ita ſint, non eſt dubium quin omnes fideles Apoſtolo Petro potius quàm cuiuis beſtiæ, Bezam dicere volebam, aſſentient. Qui certè Beza in prouinciali concilio Poſſiacenſi, in prima oratione, quam tunc illic habuit, hunc de ſcripturæ ſacræ facilitate contra Apoſtoli Petri auctoritatem, defendit errorem. ad quem tamen cōfirmandum, nullum aut ſcripturæ locum, aut antiquorum patrum teſtimonium, vmquam protulit. Ita ille ſcripturæ ſacræ maximus prædicator & thraſo, qui de Dei verbo tantopere gloriari ſolet, qui nihil aliud niſi quod ad verbum diuinis litteris continetur, recipiendum aut credendum eſſe iactat ac prædicat: vt cōtra ipſius ſcripturæ auctoritatem, omnemque experientiam, ſibi abſq. vlla probatione aut ratione ſimpliciter aſſeueranti credamus, eiuſque volaticum verbum Dei verbo præfe- *Beza hæreticus.*

 ramus,

ramus, monet, ac tantum non cogit. Nam

Auguſtin.

Auguſtini teſtimonium è ſexto capite ſecundi libri de Doctrina Chriſtiana falſè & contra ipſius auctoris mentem produxit. initio ſiquidem dicti capitis diſertè docet Auguſtinus, in ſacris ſcripturis magnas eſſe obſcuritates ac difficultates. per totum autem caput, cur ſcriptura certis in locis facilis, in aliis autem difficillima ſit, cauſſam oſtendit. & cùm Auguſtinum in eodem capite aſſeuerare Beza contendit, nihil in ſcripturis ſanctis obſcuriùs poſitum, quod non alibi ipſa ſcriptura explanet atque explicet, manifeſta in ipſum Auguſtinum calumnia eſt. neque enim ſummus ille vir generatim, ſed ſpeciatim hoc dixit his verbis: Magnificè igitur & ſalubriter Spiritus ſanctus ita ſcripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur. Hæc eſt Auguſtini ſententia, quam

Beza hæreticus Auguſtini ſententiam qualiter corrupit.

Beza corrupit. Primum enim illud verbum, fere, ſuſtulit, atque ita in vniuerſum negauit quidquam omnino obſcurius poſitum, quod non alibi explicatum eſſet. Auguſtinus autem non ſimpliciter dixit nihil, ſed, ferè nihil. deinde non dixit, ſcripturæ locum aliquem exponi per alium, ſed nihil ferè de illis

obſcu-

obſcuritatibus eruitur. Quo genere ſermonis oſtendit, non ſine labore ex illis ſcripturæ obſcuritatibus ſententiam erui: quo facto idem alibi apertè dictum eſt, non dixit expoſitum aut explicatum eſt, ſicut Beza citauit. Tertiò Auguſtinum contra ipſius Auguſtini ſententiam initio ſupradicti capitis apertè expoſitam allegauit.

Sed vt intelligatur, quàm callidè ac malitioſè Beza veritatem oppugnet, ea ſupradicti capitis initio ipſius Auguſtini verba ponemus, quibus ad eundem ferè modum, quo ſcripſerat Voluſiano (ſicut paullò antè demonſtrauimus) ſcripturam ſacram tantis obſcuritatibus inuolutam eſſe confirmat, vt ceteris in locis vel quid falsò homines ſuſpicẽtur non habeant. immo verò alibi confitetur, quædam ſcripturæ loca vſque adeò obſcura eſſe, vt ea omnino intelligere nequeat. Quale eſt illud de peccato in ſpiritum ſanctum, quod non remittetur, neque in hoc ſæculo neque in futuro. Sed ad ipſius Auguſtini verba veniamus, quæ ſupradicti capitis, quod Beza produxit, initio habentur hoc modo: Sed multis & multiplicibus obſcuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur qui temerè legunt, aliud pro alio ſentientes. quibuſdam autem locis vel quid falsò ſuſpicentur non inueniunt. Ita obſcurè quædam dicta den-

Bezam veritatem malitioſè oppugnare oſtenditur.

Matth. 12.

cta denſiſſimam caliginem obducunt. quod totum diuinitùs prouiſum eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intelle-ctum à faſtidio reuocandum, cui facilè inue-ſtigata plerumque vileſcunt. hactenus Au-guſtinus. Ex quibus perſpicuum eſt, quàm falsò, & contra ipſius mentem atque ſenten-tiam, eum in congregatione Poſſiacenſi, & in colloquio argumentoque maximi ponderis, Beza produxerit. Et exiſtimabitis etiamnum iſtum hominem ſpiritu veritatis impulſum fuiſſe, qui vt eam opprimeret, quid diceret, quid faceret, quantum mentiretur ac falle-ret, minimè laborabat, modò id quod ſibi propoſuerat, adoleſcentulo regi noſtro, re-ginæ ceteriſque principibus, qui tum aderát, perſuaderet? ego verò cùm primum hanc il-lius orationem legi, vbi ad hunc locum ven-tum eſt, obſtupui, iſtamque ſententiam ita citatam expendens, diu hæſi; cùm hinc bea-tum Auguſtinum ita ſcriptum reliquiſſe nullo modo credere poſſem; inde verò Be-zam optimum virum adeò impudentem fuiſſe, vt in tam præclaro ſummorum homi-num principumque conuentu mentiri, fal-ſumq. & adulteratum teſtimonium pro vero adferre non dubitaret, incredibile videretur. Tadem vt me hoc ſtupore animi liberarem, conſilium fuit ad ipſum Auguſtini librum,

Beza publicè mentitur.

tamquam

tamquam ad fontem, recurrere. quo inſpe-
cto cùm intellexiſſem quàm impiè Beza tan-
tum eccleſiæ magiſtrum repugnantem cri-
nibus traheret, vt eiuſdem cum illo eſſe ſen-
tentiæ videretur; tum demum vehementiùs
obſtupeſcens, in hanc querulam vocem eru-
pi: Quouſque tandem Domine Deus popu-
lum tuum quondam Chriſtianiſſimum, in
Gallia ab iſtis pſeudoprophetis circumueni-
ri ſeducique patieris? Quàm multi autem in
eo conuentu homines fuerunt, qui Bezę aſſe-
ueranti beatum Auguſtinum in negotio fa-
cilitatis ſacræ ſcripturæ ſuæ eſſe ſententiæ
crediderunt, ab eoque perſuaſi diſceſſerunt?

Beza hæreticus ſuo mendacio plures ſeduxit.

Hic igitur veterator & callidus pſeudoa-
poſtolus, cùm illud ſuum de ſcripturæ facili-
tate paradoxũ, pro ſuæ nouæ religionis fun-
damento, abſque vllo ſcripturæ teſtimonio,
immo verò contra ipſam ſcripturam à ſe eſſe
confictum intelligeret, totamque antiquita-
tem ſuo errori reluctantem videret; Auguſti-
ni auctoritatem in ſententiæ ſuæ confirma-
tionem allegare cõſtituit, quamquam illum,
ſi tamen eius ſcripta vnquam attigit, in hoc
negotio cum ceteris eccleſiæ doctoribus cõ-
ſentire non ignorabat. Quod eo animo ab
illo factum eſſe non dubium eſt, vt homines
nimis creduli, qui illius auctoris neque ope-
ra legerunt, neque libros habent, quibus in-

ſpectis rectène an perperã ille ſit in medium productus intelligant, ſummum virum cum eo ſentire interim crederent. Illam autem audaciam & impudentiam ſingularem in primis miror, quòd iſte coram tot eruditiſſimis viris tantum auctorem falsò citare veritus non eſt. Ex quo intelligitur, quàm pernicioſum ſit huiuſcemodi miniſtris ac concionatoribus temerè credere, eorumq́ue aut libros legere, aut declamationes audire. qua enim fide ac religione Auguſtini teſtimoniũ Beza produxit, eam in ſcripturæ ſacræ veterumq́ue patrum auctoritate alleganda reliqui ſibi ſeruandam putant. Quod vberius diſſerendum putaui, vt & omnibus planum facerem, qua fide atque integritate aduerſarij in ſuis allegationibus vti conſueuerint, & ipſum ſuæ nouæ religionis ac ſectæ fundamentum, quod eſt illud de ſcripturarum facilitate paradoxum, euerterem. Quo ſanè multorum fidem ipſi labefactarunt, dum ſacras litteras vnicuique faciles ac peruias eſſe perſuadent, nec ad eas intelligendas litterarum aut ſtudiorum præſidio opus eſſe confingunt. Ita omnibus, qui numquam fuere diſcipuli, magiſtri locum tribuunt; vt & pro ſuis affectibus ſacram ſcripturam interpretentur atque explicent, & de omni controuerſia ac difficultate, quæ hinc oriri poteſt, quaſi

Declamationes ab hæreticis audire periculoſum eſt.

Scripturarum facilitatẽ hæretici ſuadentes, damna plura inferũt.

quaſi ſumpta cenſoria virgula iudicet. Quid autem ipſius ſcripturæ auctoritati, quid toti antiquitati tam contrarium? quid ipſi rationi ac communi experientiæ tam repugnans? En qualis ſupra tam imbecille ac ruinoſum fundamentum ædificij ſtructura conſurgit!

Quamquam autem diuinas litteras adeò peruias ac faciles eſſe contendant, vt ab omnibus intelligi poſſint, negant tamen aduerſarij quemquam veterum eas intellexiſſe, quantumuis ille doctus, acutus, ingenioſus fuerit, quamuis ad eas intelligendas ſtudij, operæ, diligentiæ plurimum poſuerit. Ex quo intelligitur, quantum ipſi ſecum pugnant, dum modò aiunt, modò negant (quod omnibus mendacibus ſollenne eſt, & ne mendaces ſibi contradicant, Philoſophus ait oportere mendacem memorem eſſe) & cùm generaliter omnibus quamuis illitteratis & indoctis ſacras litteras intellectu faciles eſſe iſti dixiſſent, aliam huic contrariam ac repugnãtem ſententiam adferunt, dũ negant quemquam antiquorum eccleſiæ magiſtrorũ maiorúmve noſtrorum, quemquam eorum, qui aut vmquam fuerunt, aut etiam hodie ſunt, præter eos qui illorum partes ſequuntur, ſcripturam intelligere poſſe. En duas contrarias repugnanteſque ſententias. Vtram igitur ex his recipiemus? vtri credemus? non fruſtra Apoſto-

Aſtus hæreticorum.

Sibi contradicere mendacibus proprium et cõmune eſt.

Hæreticos ſibi manifeſtè repugnare oſtẽditur.

Titi 3. Apoſtolus hæreticum hominem proprio iudicio condemnatum eſſe pronunciat. Quod ſanè in iſtis experimur. primum enim ſcripturam valdè facilem, ac proinde à quibuſuis facilè intelligi poſſe dicebant. Deinde, cùm ex his quæritur; Qui fit igitur vt tam multi docti, tot ſancti atque integri, qui ab hinc mille annis eccleſiæ alumni fuerunt, tot eruditi viri, qui adhuc viuunt, eam intelligere nequeant? inter hos etenim, qui nõ aliter quàm vos ſcripturam intelligat, nullus eſt: tum iſti reſpondent, omnes ſcripturam intelligere non poſſe, eſt enim (inquiunt) difficilis, ſed eos tantum qui à Spiritu ſancto id muneris acceperũt, vt eã intelligere poſſent. Quomodo autẽ hoc munus ſpiritus comparabimus? nihil opus eſt (inquiunt) niſi petere. Deus enim illud omni petenti tribuit. Sed qui fieri poteſt, vt ab hinc mille quingentis annis tam multi ſancti Deoq́ue deuoti homines illud à Deo diligentiſſimè flagitantes non impetrauerint, ſed vt vos dicitis, crudeliter repulſam paſſi ſint? hîc aduerſarij hærent in vado. Itaque eos de ſententia decedere, ac palinodiam canere neceſſe eſt, negare ſcilicet hanc generalem ſententiam, Deus omni petenti donum ſpiritus tribuit, pro eaq́ue particularem ac ſpecialem reponere, Deus non omni petenti huiuſcemodi donum tribuit.

Iterum ſibi hæreticos contradicere demonſtratur.

tribuit. Videſne vt aduerſarij pugnantia loquuntur, ſeque in prioribus axiomatibus ac ſententiis vanitatis mendaciique condemnant? mundum tamen vſque adeò cupidum errandi inuenerunt, vt cùm tot ſententias inter ſe pugnantes atque contrarias dicerent, iis tamen non defuere diſcipuli, quibus (ſicut ſerpens Euæ Dei ſcientiam perſuaſit, dicens, eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum) perſuaderent nullo negotio minimoq. temporis ſpatio ſummos theologos effici, totam ſcripturam intelligere, omnes quæſtiones ac controuerſias, quæ inde orirentur, non minus dextrè ac confidenter poſſe diſſoluere, quàm vel ij, qui ætatem in theologiæ ſtudio contriuerunt, vel etiam illi ipſi antiqui eccleſiæ magiſtri, quorum ſententiæ licet iſtorum diſcipulis anteponere ſuam. illi enim homines erant, iſti verò aliud neſcio quid. Ita ergo iſti optimi viri ſimplicem Gallorũ aliorumq. credulitatem dementarunt, vt hoc miſerrimo ſæculo aliquis venator exiſtat, qui numquam ludum litterarium adiit, nõ Græcè, nõ Latinè, non legere nouit; gloriatur tamen ſe canum veſtigia ſequendo, fortè in leporis alicuius latibulo plus mille annis dormientem ac ſopitam veritatem deprehendiſſe, quam beatus Hieronymus in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta Solis ardoribus horridum mona-

Geneſ. 3.

Venator.

Diuus Hieronymus ſacræ ſcripturæ ſtudio quomodo vacabat.

chis

chis præſtat habitaculum, in quam tamen ſeceſſerat, vt liberiùs & orationi & ſacræ ſcripturæ ſtudio vacaret, neque vllis ad Deum precibus, quibus eius auxilium flagitabat, neque vllo labore, quem in ſcripturarum ſtudio conſumebat, vmquam à ſomno potuit excitare. O felicem venatorem, qui ad vnum buccinæ ſonitum, latentem ac ſepultam veritatem inuenit! Mentior niſi & militem aliquem cum ſuo manuali tormento per omnia ſacra & profana iurantem audies, ſe ſuas machinas diſplodentem, ipſam veritatem, quam his ſexcentis annis nemo conſpexerat, ex ipſa bombarda delapſam, atratam & illo diaboli puluere fumoq. conſperſam vidiſſe? O beatum ſæculum, quo omnibus adeò obuia eſt veritas! hâc pharmacopola quiſpiam deierabit à ſe, cùm in ſuo mortario tunderet, piſtillo expreſſam, inter ipſa pharmaca repentè apparuiſſe, quam ſanctorum patrum noſtrorum miſerabiles voces ac piæ preces, vt ſeſe mõſtraret, numquam adducere potuerant. Audire eſt mercatorem diris ſe deuouẽtem, niſi telam aut pannos ſuos complicans, inter illos ſinus latentem ac tectam veritatem inuenit, quam illi antiqui patres eccleſiæque doctores per mille annos in ſacris litteris ſummo ſtudio diligentiaque inquirentes, nũquam inuenire potuerunt. Audio cauſidicũ refe-

Miles.

Pharmacopola.

Mercator.

Cauſidicus.

referentem, ſe certo die litteras neſcio quas peruolutantem, in ipſam veritatem incidiſſe, quam nullus vmquam theologus diligentiſſimè inter ſacras litteras inueſtigans deprehendere potuit. Quid? nónne & ſutorem inuenies gloriãtem, ſe ex detrita ſolea, quam forte reficiebat, ipſam veritatem ſubula detraxiſſe, quam nullum alicuius antiqui doctoris ingenium, nullum acumen, neque ex veteri neque ex nouo teſtamento potuit vmquam educere? Quid opus eſt multis? Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit, dum tantam rerum confuſionem intueor. omnes enim iſtos Thraſones coniuratos video, vnaque & mente & voce dicentes audio: Nolite doctoribus theologis, aut iis qui diuinarum litterarum ſtudio incumbũt, amplius credere, ſed nobis credite. O impudentiam ſingularem iſtorum, qui quanto minus & diuinis & humanis litteris operam dederunt, tanto maiores ſunt pecudes; erraui, volebam enim dicere, tanto præſtantiores eſſe theologos.

Sutor. *Virgilius.* *Proſopopæia.* *Hæreticorum impudentia retunditur.* *Ironicè dictũ.*

Referam arcanum quoddam eorum theologiæ myſterium, quod à certo illorum ſymmyſta audiui quidem, ſed tamen vt credam adduci non poſſum; neque enim eſt euangelica veritas. Aiunt igitur iſti, quanto minus quis ſtuduit, tanto eum & doctiorem & aptiorem

aptiorē eſſe, vt iſtius noui euangelij miniſter & doctor exiſtat. illorum enim muſtum, vacuum vtrem & ab omni alio liquore purum poſtulat. Credat hoc qui volet, ego verò non credo; dicant illi licet me nimium pertinacem. illos tamen ita credere neceſſe eſt. Alioqui (rogo) qui fieri poſſet, vt iſti cæmentarij, ſutores, milites, venatores, pharmacopolæ, mercatores in ſuæ legis doctores ſuique euangelij miniſtros ac præcones ſubitò euaderent? credunt igitur illi, vnde & omne hominum genus eos ad ſuam ſcholam audio conuocantes, & vt perſuadeant aureos montes pollicentur. Audite nos, inquiunt, audite nos omnes, & vos à nobis vno die plura diſceretis, quàm ab iſtis theologis intra triennium diſceretis. intra menſem abſoluti, in noſtra theologia magiſtri eritis, qui in Papiſtarum theologia ætate conſumpta, vix ad baccalaurei nomen peruenire poſſetis. nos ſemitā quandam omnibus aliis incognitam, quæ ad ipſum veritatis adytum magno compendio ducit, inuenimus. Nolite cuiquam illorum antiquorum patrum eccleſiæque doctorum, qui omnes homines erant, nolite vlli concilio, quæ omnia errarunt, amplius credere. nos ſoli veritatem nouimus ac tenemus; nos diuinas ſcripturas ſoli intelligentes errare non poſſumus; nos in intimum ſacroſanctæ veritatis

Hæretici falſa promittūt.

veritatis adytũ mira facilitate penetrauimus, patres noſtri omnes errarunt; erant enim fatui homines ac ſimplices: reliqui omnes ſunt cæci, nos ſoli videmus. alij omnes qui ante nos vixerunt, nihil aliud niſi ſtulti & aſelli erant, nos ſapientes & acuti ſumus. Ad noſtram igitur ſcholam omnes accurrite, mira intelligetis.

Hæc aduerſarij de ſeipſis & dicunt & ſentiunt, vt mundum ad ſuam ſcholam rapiant, in qua veram theologiam ac germanam ſcripturæ intelligentiam inflatis buccis pollicentur. Quàm moleſtum atque acerbum eſſet pleriſque viris doctis, quos adhuc orbis tenet, ſi poſt tot eruditiſſimos præceptores ſummoſque doctores, quos aut audierunt aut legerunt, iſtorum & ſcholam frequentare, & diſcipulos fieri neceſſe eſſet. O beate Hieronyme vas electionis omni doctrina refertum, quid ageres? quid diceres, ſi iam nobiſcum verſareris in mundo, & iſtorũ Thraſonũ vanitatem audires? quantum obſtupeſceres, cùm iſti tibi dicerent: Docebimus te quod adhuc neſcis; & vt ſacram ſcripturam intelligas, noſtram ſcholam frequentare neceſſe eſt? quàm acerbum tibi eſſet huiuſcemodi orationem audire. Magnam quidem orbis partem peragraſti, Conſtantinopoli theologum illum inſignem Gregorium Nazianzenum audiſti,

Viris doctis hæreticorum ſcholam adire moleſtum eſt.

Diuo Hieronymo hæreticorum orationem audire acerbũ eſſet.

H Alexan-

Alexandriæ Didymum, deinde multis annis in Bethleemitico cœnobio magna cum laude docuiſti; attamen nihil egiſti, nihil adhuc boni didiciſti. Quapropter alicuius militis, mercatoris, pharmacopolæ, ſutoris, cæmentarij, textoris, aut certè alicuius mulierculæ diſcipulum te fieri neceſſe eſt, vt ab ea diſcas, quod numquam illi ſummi theologi te docere potuerunt. Quibus verbis tantam deteſtareris inſaniam? quo fulmine verborum tam incredibilem iſtorum arrogantiam retunderes? qui cùm diſcipuli numquam fuerint, magiſtrorum ſibi nomen aſſumunt, & hoc in ea diſciplina; qua nulla ſublimior, nulla difficilior magiſque ardua cogitari poteſt.

Confutat S. Hieronymus eos qui ſcripturarum diuinarum facilitatem iactant.

Neque verò nouum hoc mali genus eſt, quo diabolus huiuſcemodi inſanos homines fallit ac decipit. neque enim Hieronymi ſæculo deerant qui ſibi tantum arrogarent, vt ſcripturá, quam non didicerant, ſe intelligere arbitrarentur, vellentque videri magiſtri, qui numquam diſcipuli fuerant. Cõtra quos agit pluribus beatus Hieronymus in epiſtola ad Paullinum de omnibus ſacræ ſcripturæ libris, qua in epiſtola, quam difficilis intellectu ſit ipſa ſcriptura, luculenter oſtendit. Deinde iſtorum, de quibus nunc agimus, temeritatem acriter redarguit. Sed cùm ipſa epiſtola ſit in prõptu & ferè in omnibus bibliis,

vt prologus præfigitur, totam legere ſatius eſt; quippè quæ in hanc ſententiam multa memorabilia contineat. in ea ſiquidem ſummus ille vir omnibus eloquentiæ ſuæ viribus eum deteſtatur ac inſectatur errorem, in quem noſtræ ætatis hæretici ſuos diſcipulos impulerunt, dum eos in ſacra theologia magiſtros faciunt, cùm nunquam fuerint diſcipuli: iiſque diuinas litteras faciles eſſe perſuadent.

Idem auctor ad Pammachiũ & Oceanum ſcribens, aliam ad intelligentiam ſcripturarum perueniendi viam ſe ſecutum oſtendit, quam iſtam, in qua aduerſarij inſiſtunt. Dum eſſem iuuenis, inquit, miro diſcendi ferebar ardore, nec iuxta quorundam præſumptionẽ ipſe me docui. Apollinarium Laodicenum audiui Antiochiæ frequenter, & colui. Iam canis ſpargebatur caput, & magiſtrũ potius quàm diſcipulum decebat, perrexi tamen Alexandriam, audiui Didymum, in multis ei gratias ago. quod neſciui, didici, quod ſciebam, illo docente non perdidi, putabant me homines finem feciſſe diſcendi: veni rurſus Hieroſolymam & Bethleem. quo labore, quo pretio Barraniam nocturnũ habui præceptorem? timebat enim Iudæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum. hactenus Hieronymus. Atque vtinam ij qui in theo-

Diuus Hieronymus quam viã in diſcendo obſeruauerit.

Ioan. 3.

logia diuiniſque litteris proficere geſtiunt,tā-
ti viri exemplum potiùs quàm ſciolorum
quorundam ſequerentur errorem ; qui cùm
nihil ſciant, ſe tamen ita doctos arbitrantur,
vt nolint cuiuſquam eſſe diſcipuli, ſed per ſe
momento temporis omnia conſequi poſſe
confidunt. Qui cùm ſe dicant eſſe ſapientes,
Rom. 1. ſtulti facti ſunt. de quibus rectè Seneca: Puto
Seneca de tranquillitate vita cap. 1. multos potuiſſe ad ſapientiam peruenire, niſi
putaſſent ſe perueniſſe. Et quidam alius ſa-
Quinctilian. inſtit. orat. l. 1. cap. 2. piens: Nihil peius eſt iis, qui paullulum ali-
quid vltra primas litteras progreſſi, falſam ſi-
bi ſcientiæ perſuaſionem induerunt; nam &
cedere præcipiendi peritis indignātur, & ve-
lut iure quodam poteſtatis, quo hoc homi-
num genus intumeſcit, imperioſi ſtultitiam
ſuam perdocent.

Numquam autem tantam huiuſcemodi
arrogantiū hominum meſſem in orbe fuiſſe
exiſtimo, quantam hac tempeſtatē exortam
Hæreticorum arrogantia in ſcripturis exponendis proponitur. videmus. in hoc enim hæretici ab initio ſum-
mis viribus ſibi enitendum putarunt, vt eo-
rum animis, quos in ſuam naſſam trahere cu-
piebant, hanc perſuaſionem ingenerarent, vt
ſuæ conditionis ac imperitiæ obliti, tantum
ſibi ipſis arrogarent, vt quilibet eorum ad di-
uinas litteras intelligēdas, & ad omnes theo-
logicas controuerſias ita diiudicandas, vt qua
in parte veritas eſſet, ſuis viribus ſtatueret,
ſatis

ſatis idoneum ſe arbitraretur. Et ſanè niſi hoc erroris fundamentum in eorum pectoribus ieciſſent, numquam eos fallere ac circumuenire, numquam in reliquorum errorum naſſam pertrahere potuiſſent. nam ſi illi, ſuæ imperitiæ memores, intra modeſtiæ limites conſtitiſſent, numquam profectò in theologicis cõtrouerſiis arbitri ac iudicis partes ſuſcipere paterentur; ſed huiuſcemodi quæſtiones ad theologiæ ſcholas reiicerent, vt illic ab iis, quorum id erat officij, ſoluerentur. Ita numquam homines idiotæ ſibi earum cognitionem rapiendam putaſſent, ſed viribus ſuis imparem ſarcinam modeſtè recuſaſſent. quod ſi factum eſſet, numquam illi à callidis hominibus decepti fuiſſent.

Hæretici quo erroris fundamento alios aberrare fecerunt docetur.

Id cùm aduerſarij non ignorarent, viderentque ſi theologi, quorum id intererat, de eorum cauſſa iudicarent, nouæ ſuæ doctrinæ curſum retardari, nec vltrà progredi poſſe; hoc vnum ante omnia vnicuique perſuadere conati ſunt, vt omnia concilia, omnes antiquos patres, eccleſiæque doctores, quorum in explicãdis ſcripturis & quæſtionibus, quas iſti reuocant in dubium, diſſoluendis elaborauit induſtria, reiicerent tamquam homines qui errare potuiſſent. Ergò diuinas ſcripturas, ad ſuos inquiunt, adeò faciles, vt eas quiuis capere poſſit, ipſi legite vt intelligatis, in

A theologis viris theologicarum controuerſiarum cognitionem quare hæretici eripere conantur.

Aduerſariorũ ad ſuos oratio.

quo maiores veſtri errarunt, nouum doctrinæ genus quod vobis offerimus, diligenter audite. Ita miſeris, vt & argumenta quæ contra catholicam fidem excogitauerant, libenter audirent & libros legerent, quos contra eccleſiam Chriſti pernicioſiſſimos ſcripſerant, perſuaſerunt. Quod vbi miſeri facerent, eos in huius controuerſiæ, quam aduerſus antiquam fidem mouerant, iudices ſe aduerſarij libenter ſuſcepturos eſſe dicebant. Et ne quis ambitioſum huiuſcemodi ſacrilegium detrectaret, oportet, inquiunt, omnes doctrinam ſuæ ſaluti neceſſariam cognoſcere. Itaque legite libros noſtros, vt qua ex parte ſit veritas iudicare poſſitis. hoc omnibus facilè eſt, nemo hac in re non idoneus iudex eſt. Iſti Papiſtæ ſacerdotes, monachi, nolunt vos diſcere euangelium, quod eſt Chriſti doctrina. timent enim, ne veritatem, quam ipſi tot ſæculis occultarunt, vos aliquando reperiatis; verentur ne quod ipſi ſciunt, vos etiam ſciatis: idcirco nolunt vos euangelium legere, ne forte videatis errores, quos contra Chriſti doctrinam, quam illi pro ſuo arbitrio corruperunt, plebi inculcant impieque defendunt.

Geneſ. 3.

& quemadmodum callidus ille ſerpẽs rationem, quare ne comederent Deus præceperit, reddere volens, inuidiæ notam in diuinam maieſtatem inferens, ad mulierem dixit: nequaquam

quaquam moriemini; ſcit enim Deus, quòd quocumq. die comederitis, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicùt dij ſcientes bonum & malum. eamque his verbis decépit, vt ipſa poſtmodum fatebatur. Sic etiam aduerſarij patrem ſuum diabolum imitantes Chriſti ſacerdotes in prædictis inuidos eſſe puſillis hominibus ſuadere nituntur.

En præclara aduerſariorum ratio, qua ſimplicioribus quibuſque Chriſtianorum, vt artem exerceant, cuius plane ignari ſunt, & quam numquam attigerunt, id eſt, vt de fidei dogmatibus iudicent; & quæ euangelio Chriſti reſpondeant, quæ non, ſententiam ferant, perſuadere conantur. & vtinam ipſi ſe deceptos eſſe iam intelligerent. Sed iſtis idē euenit, quod iis, qui cùm natandi artē ignorent, eam in alto mari diſcere geſtiunt, quos temeritas ſua demergit ac obruit fluctibus: ita iſtis accidit, qui cùm imperiti ſint, in vaſto diuinarum ſcripturarum Oceano temerè natare audent, vt in profunda errorum hæreſumque voragine ſubmergantur. quod periculum minimè attendētes, nimis leuiter aduerſariis crediderunt, qui fallente mendacio omnia iis tuta eſſe dicebant. Sed tantus eſt ob iſtam credulitatem pereuntium numerus, vt cæcum illud barathrum diutius celari non poſſit. Nos verò matris eccleſiæ

Ironica locutio.

Simile.

Pereuntium magnus eſt numerus.

alumni vſque adeò verebamur, ne illi in tam certum diſcrimen inciderent, vt hac vna de cauſſa eos pro viribus dehortaremur, ne aut iſtorum comptæ orationi aurem præberent, aut cum iis familiaritatem amicitiámve contraherent, aut omnino quidquam commune cum illis haberent. Namque iuxta viuendi formam nobis à Diuo Paullo præſcriptam, hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem deuitandum eſſe ſatis cõſtat. nouimus ſiquidem iſtos miſeros minus cautos, quàm vt ex illorum laqueis ac ſcrophis, & argumentorum ac captionum labyrintho euaderent, quin ex iis plurimi irretiti caperẽtur. Quod miſeris accidiſſe deflemus, videntes eos ad certum interitum concitatiſſimè properare, niſi ex illo periculo Dei optimi maximi munere ac benignitate reuocentur.

Hæreticorum familiaritas maximè vitanda eſt. Tit. 3.

LIBROS

LIBROS HÆRETICORVM AVT BIBLIA, AB IIS IN *vulgarem linguam conuerſa, non ideo ab eccleſia interdicta, vt Chriſtianis Euangelium celaretur.*

CAPVT V.

NEQVE verò, vt aduerſarij calumniantur, certis libris interdiximus, vt Euangelium hominibus celaretur. nihil enim magis optamus, quàm vt veritatis lucem omnes amplectantur ac teneant. Cur ergo interdicebamus? ne illi, qui veritatem iam amplexi erant, eam hæreticorum dolis ac fraudibus circumuenti desererent. nam Euangelium certè iis in eccleſiæ conuentu clara voce recitabatur, deinde etiam pro concione explanabatur, libri proſtabant, habebat qui volebat. Quàm impudenter ergo aduerſarij mẽtiuntur, cùm nos euangelium hominibus abſcondiſſe deblaterant? nobis certè quidem longè aliud propoſitum erat, nimirum vt iis noſtra diligentia, ſtudio, vigilantia cautum eſſet, ne in tantum arrogantiæ audaciæque delaberentur, vt ſeſe ſatis aptos & idoneos eſſe crederent, qui de controuerſiis ac quæſtionibus, quas aduerſarij omnes veteres hæreſes ab inferis ſuſcitantes, nimis multas in medium pro-

Lib. hæreticorum quare Chriſtianis interdicũtur.

Puſillos præmonere oportuit, ne ab hæreticis deciperentur.

proferunt, iudicarent. Ita illos monebamus, ne facilè mouerentur, ſibique cauerent, ne hæreticorum dolis fraudibuſque caperentur. Qui verò ad theologiæ ſtudium non inepti videbantur, iis vt diuinarum ſcripturarum lectioni, & ſanctorum patrum explanationi toto pectore incumberent, conſulebamus.

Pro intellectus capacitate diuerſis diuerſa conſulenda ſunt.

quibus id ſtudium non placebat, aut qui ad illud minus apti erant, eos vt ſacras conciones, quæ ab iis, qui ad huiuſcemodi functionem ritè vocati eſſent, in eccleſiis publicè fiebant, ſollicitè frequentarent, atque in iis euangelij ſuæque fidei declarationem diligenter audirent; eoque quod iſto modo capere poſſent, contenti eſſent, nec curioſitate nimia myſteriorum fidei noſtræ profundam maieſtatem perſcrutarentur, admonebamus. Neque enim cuiquam noſtrum omnes fidei Chriſtianæ articulos, aut totum euangelium non intelligere damnabile eſt, ſed tantum illa credere, & Dei eccleſiæque mandata ſeruare

Chriſtianis quid ſit præceptum & neceſſarium.

præcipimur. Et quamquam is, qui poſtquam fidem amplexus eſt, in illius intelligētia proficit, maiore quadam voluptate perfruitur; tamen præclarum eſt, eo quamuis exiguo quod quiſque capere poteſt, eſſe contentum. Reſtat igitur, vt vnuſquiſque in ſua vocatione qua vocatus eſt, dignè cum omni humilitate ambulet, & permaneat, ſimpliciterque

Ephes. 4.

credat

credat & teneat quod credit mater eccleſia catholica Romana. qui enim ita crediderit & opere perfecerit, ſatis tutus eſt.

Huiuſcemodi oratione ad ſimpliciores quoſque vtebamur, hoc iis qui diuinis litteris operam dare aut non poterant, aut nolebant, conſulebamus. De ſua autem fide cum aduerſariis litigare, aut de hæreticorum vel erroribus vel ſermonibus cognoſcere eos nolebamus; propterea quòd nobis non erat obſcurum, quantam peſtem ac perniciem imperitis ac rudibus ea res adferre ſoleat. Sæpè enim nimium altercando veritas amittitur. Non ſunt apti omnes ad diſputandum, qua in re multorum ſalus periclitatur. Vt enim qui Græcè neſcit, cum eius linguæ perito Græcè loqui non poteſt; quod ſi fortè tentauerit, iure ridebitur: ita qui Dialecticis imbutus non eſt, nec bene diſſerere, nec probè argumentari, nec aduerſarij argumentum rectum an vitioſum ſit intelligere poteſt. ita nec ad diſputandum, nec ad diſputationes audiendum, nec ad iudicandum, quis melius diſputauit, aptus eſt. Quam facultatem ſi ſibi vindicauerit, non ſolum iure ridebitur, verumetiam facilè inter mæandros illos, ac retia ſophiſmatum tamquam auis in laqueo captus hærebit. Vt enim is, qui inſignem ſibi Latinæ linguæ peritiam comparauit, de Medicina,

Simplicioribus cum hæreticis litigare non concedit.

Simile.

Simile.

dicina, de Aſtrologia, de iure ciuili diſſerere non poteſt, niſi eas artes antè didicerit, alioqui in multos fœdoſque labetur errores: ita theologicæ rei ignarus, quia in Latinis aut Græcis litteris fortè profecit, ſi ſe idoneum exiſtimat qui de theologicis quæſtionibus ac controuerſiis diſſerat, iure quidem meritoque ridetur, ſed multorum periculo deſipit. mirum enim ſi non aberrauerit; & nimis ille felix eſt, ſi cõtra ſuam fidem in multos non delabatur errores; ſed qui ex tanta animi ſuperbia periculum amat, vt in ipſo pereat dignus eſt. præſertim cùm ſacra ſcriptura humiliter verſanda ſit: ſuperbis ſiquidem & elatis eius arcana Pater cæleſtis abſcondit, paruulis autem ea reuelare dignatur.

Simile.

Eccle. 3.

Hæretici igitur vafrum ac ſubdolum genus, cùm hoc errorum periculum ita ſe habere intelligerent, nihil optabant, niſi vt rudes quoſque fidelium & idiotas in eam naſſam inducerent, vt inter patinas & cyathos de ſacroſanctæ theologiæ myſteriis diſputarent, ac temerè iudicarent. Neque enim dubitabant, quin ſuper hoc impietatis altiſſimo fundamento quantamcumque errorum molem facilè exſtruerent, ſi ſemel illud vnum imperitis hominibus perſuaſiſſent. Cùm igitur illos in tantam circa hoc fundamentum ſui obliuionem adduxiſſent, in duo alia grauiſſima

Supra impietatis fundamentum errorum molem hæretici ædificant.

uiſſima maximaq́. peccata,quibus iram Dei ita prouocauerunt,vt iuſtiſſimo illius iudicio in alios atque alios ſubinde præcipitarentur errores, tamquam in duo ſtygia barathra miſeros deiecerunt. Primum eſt incredulitas,alterum ſuperbia;quæ duo crimina Deum maximè offendunt. Id quo modo fiat planum faciam, vt aduerſariorum iniquitas perſpici poſſit.

In hæreticis incredulitas & ſuperbia inueniuntur.

In primum igitur incredulitatis crimen incidunt,cùm ex hæretico audiunt; fides veſtra falſa eſt, maiores veſtri & ſacerdotes vos deceperunt:quapropter elaborare debetis,vt intelligatis vtrum fides veſtra vera an falſa ſit. cùm hæc inquam ex hæretico audientes ei credunt, illiuſq́ue ſuſcepto ac probato cõſilio ſecum ita deliberant: Volumus ſcire num iſte verum dicit, & vtrum fides noſtra vera ſit an falſa, deceptíne ſumus à maioribus,an non.Cùm igitur apud ſe ita ſtatuunt, & ſecum ita loquuntur,eos incredulos ac infideles factos eſſe dico. nam qui dubitat, fidem perdidit: fides enim eſt rerum inuiſibilium, quæ natura aut experientia non apparent, certa perſuaſio,omnem ſibi contrariam dubitationem prorſus excludens. Cùm igitur dicunt; volumus ſcire num verum an falſum ſit quod credimus; quid in eo mali eſt? tantum profectò mali, vt qui ita dicunt & ſentiunt,

Dubitans in fide quomodo ſit infidelis cenſendus.

Fides quid ſit.

ſentiunt, infideles ſint, ac proinde pœnis æternis obnoxij. Cùm enim dicis, volo ſcire vtrum fides mea vera ſit an non, quid aliud dicis, quàm neſcio vtrum fides mea vera ſit? ſi neſcis, dubitas; fides autem & dubitatio inter ſe pugnant. qui dubitat, fidem non habet. Nam dubius in fide infidelis eſt. ipſa ergo cupiditas ac voluntas ſciendi num fides tua vera ſit an non, te iam infidelem ac incredulum eſſe declarat. & adhuc quæris quid in eo mali ſit? Tantum certè mali, vt Dominus per Prophetam loquatur & dicat: In gente incredula exardeſcet ira mea. & Ioannes Apoſtolus: Timidis & incredulis pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulfure. Vides igitur, quàm perniciosum tibi conſilium aduerſarij dabant? Et ſanè, qui ita loquuntur & ſentiunt, quanti ſuam fidem æſtimarent, luculenter oſtendunt, quæ primo hæreticæ doctrinæ vento tam facilè concuſſa ac nutans, in illorum cordibus altas radices profectò non egerat.

Eccle. 16. *Apoc. 21.* *Domini ira contra incredulos exardeſcit.*

Alterum crimen eſt ſuperbia, de qua dictum eſt: Superbo oculo non videtur veritas. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autē dat gratiam. Quod crimen quemadmodum admittunt cùm aduerſariis credunt, explicandum eſt. Horret animus, cùm cogito quanta ſit ſuperbiæ & arrogantiæ vorago, in quam

Iacobi 4. *1. Pet. 5.*

quam miſeros à ſe deceptos aduerſarij præcipitant, dum iis perſuadent in illis ſyrtibus, in quibus omnes maiores ſuos periſſe contendunt, nihil eſſe diſcriminis, eoſque ad traiiciendum abſque periculo ſatis idoneos eſſe dicunt. Quod vbi ſemel perſuaſum eſt, tum verò miſeri ſe idoneos exiſtimant, qui de cõtrouerſia, quæſtione, materia iudicent, in qua omnes maiores ſuos eſſe ſubmerſos ac periſſe dicunt. Qua in re, ſi eorũ factũ preſſius conſideremus, tum demum illos in incredibilem quandã arrogãtiã, atq. in tantã ſuperbiã, quãta exprimi nõ poteſt, lapſos eſſe intelligemus.

Sapientes ſe eſſe hæretici iactant.

Primùm enim ſeſe adeò doctos ac ſapientes arbitrantur, vt officium iudicandi de controuerſiis Eccleſiaſticis ad ſe ſolos pertinere exiſtiment. de quibus qui rectè iudicare poſſet, ante ſe idoneum putant fuiſſe neminem, nec ad hoc munus niſi de ſuo grege quemquam viuorum admittunt. Ita in ſummi iudicis Romani pontificis tribunal glorioſè cõſcendunt, immo impudenter irrumpunt, è quo reliquam generis humani partem tamquam minus idoneam deturbarunt. Cùm enim eos monebamus, vt hanc controuerſiam vel ſedis Apoſtolicæ iudicio more maiorum, vel œcumenico concilio, aut ſi hæc illis fortè ſuſpecta eſſent, ſanctorum patrum ac antiquorum eccleſiæ ſanctæ doctorum ſententiæ ſub-

Hæretici omnes eccleſiæ doctores arrogantiſſimè reiiciunt.

tiæ ſubmitterent, hos omnes tamquam minus idoneos iudices arrogantiſſimè reiecerũt. Pontifex, inquiunt, noſter inimicus eſt, concilia errare poſſunt, antiqui patres homines erant. Quòd ſi ab iis quæramus, quem in hac cauſſa ſupremum iudicem, à quo non ſit prouocatio, velint, vnuſquiſque aiunt hoc officio fungi poteſt; omnes enim ſuæ ſalutis debent habere rationem; legemus inquiunt ſcripturam, quæ plana ac facilis eſt. Cùm verò concilia ſecundum ſcripturam diuinam, id eſt, pro nobis ſententiam tulerint, tum demum nos illorum iudicio ſubmittemus; aliter nullo modo. Et quis tãdem erit ille Rhadamanthus aut Minos, qui conciliorum antiquorumque patrum ſententiam retractet, & vtrum ea ſcripturæ quadret ac conueniat an non, examinet ac iudicet? vnuſquiſque noſtrum inquiunt.

Hæreticorum impudentia oſtenditur.

Sed dic mihi, qui fieri poteſt, vt poſt tot tantoſq. viros eruditione præcipuos, virtute præſtantes, florem totius orbis tam rectè ac incorruptè iudicare poſſis? Incredibile enim eſt te ita exiſtimare, vt in quo tã multi homines, qui te ſapientia, virtute, doctrina longè ſuperabant, lapſi ſint, in eo tu ſolus labi, falli, errare non poſſis. Sed ſpiritum, inquiunt, neſcio quem inuenimus, immo dormientem excitauimus, qui ſuſcitatus à nobis, ita nos

ſtatim

ſtatim afflauit, vt ſcripturarum mare in quo omnes alij in modum Vlyſſis errarunt, abſq. vllo errore tranſire poſſimus. O ſomnolẽtum ſpiritum, qui in morem glirium mille annis ita altè dormiuit, vt eum à ſomno nemo excitare potuerit. Sed vereor ſanè, ne hic ſpiritus ſit ipſe Satanas, quem poſt mille annos ſolui oportet, vt de carcere ſuo egreſſus, ſeducat gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ; & multis modis orbẽ Chriſtianum affligat; quemadmodum in Apocalypſi à Ioanne prædictum eſt. Mentior, niſi iſtorum patriarcha Lutherus quinque argumenta, quibus vſus eſt in libro quem is contra miſſæ ſacrificium ſcripſit, ſibi ab ipſo dæmone ſuppeditata eſſe confitetur, quem regem eſſe ſuper omnes filios ſuperbiæ ſcriptura commemorat. *Simile.* *Apoc. 20.* *Iob 41.*

Vides igitur, amice lector, quod primo loco propoſuimus, quãta ſit in hac parte iſtorum arrogantia, quam haud obſcurè præ ſe ferunt. vides quantum ſibi ipſis tribuunt ac vindicãt, cùm ſe omnibus aliis anteponunt.

Alterum in quo iſtorum arrogantia perſpicuè cernitur, eſt illa tanta ſui obliuio, vt quod gẽnus animantis ſint, num homines, an aliud quippiam, ipſi ignorare videantur. quod ex eorum verbis facilè doceri poteſt. Diximus ſuperiùs, eos omnium antiquorum *Hæretici ſe nõ cognoſcũt.*

patrum, eccleſiæque doctorum opinionem reiicere, quia homines erant, omnium conciliorum ſententiam improbare, quia ab hominibus concilia cogebantur. Iam vt huiuſcemodi propoſitio cauſſalis vera probetur, illius quoque vniuerſalis vera ſit neceſſe eſt. Quænam illa eſt? iſta profectò: Nulli homini credendum eſt. At qui reiectis aliis tamquam ſuſpectis, propterea quòd homines erant, aduerſarij dicunt ſibi eſſe credendum, voluntque ſibi ab omnibus credi; immo verò in eos qui ſibi credere nolunt, excandeſcunt, iraſcuntur, inſaniunt. Vides vt illorum ſibi quadrat & conſentit oratio? negant enim in primis cuiquam mortalium eſſe credēdum, deinde dicunt ſibi credendum eſſe. nónne igitur conſequens eſt, eos non eſſe homines? Alij inquiunt, quia homines erant, errarunt; nos verò nō erramus. Quid igitur cauſſæ adferent, cur non errent, niſi ſe homines eſſe negent? cùm enim hinc omnes homines errare, nec cuiquam homini ea de cauſſa fidem habendam eſſe dixerint, inde verò ſuæ ſectæ homines errare non poſſe, eorumque opiniones non modò recipiendas, ſed etiam tutò recipi & credi; quid aliud reſtat, niſi, vt aut in modum Steſichori palinodiam canant, aut ſe homines eſſe inficientur?

Contra hæreticos euidens argumentum proponitur.

Hæretici quales ſint,

En qualis & quanta illorū eſt gloria, quātā ſui

ſui obliuio, qui ſe homines eſſe iam neſciunt. *homines ſe eſſe nec ne, ignorant.*
Quod igitur animantis genus eſt? aut quod nomen iſtis imponimus? num vituli ſunt, an aſini? negabunt. an fortè angeli? non credo. ne dij quidem. Quid igitur? Dæmones? non fatebuntur, vt equidem exiſtimo. Ad hæc videmus eos carnem, oſſa, ſanguinem habere, comeſſe, bibere, vt reliqua pecora campi; cornua tamen in iis non video, quemadmodum antiqui dæmones & vituli geſtant, niſi fortè ea ſpiritualia & inuiſibilia ſint, quemadmodum ſe omnino ſpirituales eſſe dicunt. In quo igitur animalium genere iſtos numerabimus? equidem non dicam, ſed tamen ex ipſis quærendum eſt. Audiuimus, ô boni viri, vos homines eſſe deſiiſſe; vnde multum laboramus, dum quod genus animantis ſitis, ſcire vellemus. Liberate nos quæſo iſta ſollicitudine, dicite quinã eſtis, an non homines? Certè non dubito, ſi vos ipſos circumſpexeritis, ſi in aliquo ſpeculo oris veſtri lineamenta videritis, quin vos homines eſſe fateamini; ibi quæſo vultum natiuitatis veſtræ aſpicite & conſiderate. Quod ſi cõceditis, & illud obſecro concedite, errorem in vos quoque, quemadmodum & in alios homines, poſſe cadere. agnoſcite conditionem veſtram, neque nobis ſuccenſeatis, quòd veſtræ opiniones nobis ſuſpectæ ſunt, cùm & *Iacobi 1.*

vos homines ſitis, & ea de cauſſa maiorum noſtrorum ſententias vobis ſuſpectas eſſe dicatis. Patimini legem quam ipſi tuliſtis, dicitis erraſſe maiores noſtros, quia homines erant: ita & vos homines eſſe, ac proinde quẽadmodum ipſi vos errare poſſe dicimus. En quo pacto de aliis iudicantes ſeipſos condemnant. Quid opus eſt multis? quis non videat verum eſſe quod paullo antè dicebã, eorum arrogantiam ac ſuperbiam in tantam ſui obliuionem eos adduxiſſe, vt ſe iam homines, ac proinde errori & ignorantię, quemadmodum & cęteri, ſubiectos eſſe neſciant.

Ex ſuis verbis hæreticos errare deprehendimus.

Maiores autem noſtros homines fuiſſe quis negat? illud certè quidem credimus (quod iſtorum pace dixerim) nullum ex iſtis Thraſonibus cum noſtris maioribus, ſiue pietatem, ſiue eruditionem atque doctrinam ſiue virtutem ſpectes, poſſe conferri. quæ cùm ita ſint, libentius iis quàm iſtis nouatoribus credimus. Quòd ſi aduerſarij negent ſe vſque adeò inſoleſcere, vt in hac cauſſa iudicis partes ſibi ſumendas putent, ſed ſe vnam inueſtigare & inquirere veritatem, quod ad tegendam ſuam inſolẽtiam ſingularem (quam ſuperiùs oſtendimus) eos dicturos eſſe non dubium eſt, prompta reſponſio eſt, mihi facillimum eſſe probare quod dico, ex iis quæ ipſi vel dicunt, vel faciunt. Adhibeant illi

ſanè quoſlibet fucos ad obſcurandam veritatem, eum tamen in hac cauſſa procedendi modum obſeruant, qui ad alium neminem, niſi ad ſummum eius iudicé, pertinet; nam cùm aliquis opinionem cuiuſcumque hæretici eligit, eamque contra totius orbis iudicium defendit, & hinc eccleſiam cum omnibus ſuis magiſtris erraſſe inde illum neſcio quem verum inueniſſe contendit, quid aliud facit, quàm quod iudici propriũ eſt? nónne ſeipſum inter eccleſiam, & illum alterum, arbitrum iudicemque conſtituit? Cùm enim hinc illius ſẽtẽtiã eligit ac probat, inde alios omnes, qui ei contradicunt, damnat ac reiicit, illumque vnum veritatem clarius quàm reliquos omnes doctores perſpexiſſe aſſeuerat; quid? nónne iudicis officio ac munere fungitur?

Hæretici ſuã ſectam defendentes, ſibi contradicẽtes, damnant.

Cùm igitur iſte dicat, ille quidem rectè, alij autem errarunt; quid aliud reſtat, quàm inter eos ferre ſententiam, qua ille rectè ſentire, alij verò pro veritate mendacium amplecti iudicentur? quod ſanè vſu venit in hac controuerſia, quam de intelligentia verborum Chriſti, hoc eſt corpus meũ, contra Euchariſtiæ ſacramentum noui ſacramentarij ſuſcitarunt. Omnis antiquitas & veterum conciliorum auctoritas, in quibus ipſe Berengarius conuictus fuit, ea Chriſti verba ita

Berengarius cõuictus fuit.

in ſuo ſenſu litterali accipienda duxerunt, vt verum Chriſti corpus ab illo Apoſtolis in cena realiter datum eſſe intelligeretur, cùm illis à domino dictum eſt: accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Berengarius autem, & ij, qui noſtro ſæculo illius inſanum errorem ab inferis excitarunt, Chriſtum de alia re quàm ipſius verba ſonant, loqui voluiſſe contendunt. Quid autem illud ſit, in tanta opinionum varietate nondum explicare potuerunt.

Hic ergo bina caſtra videre eſt, hinc antiquos omnes eccleſiæ magiſtros, Cyprianum, Iuſtinum, Irenęum, Dionyſium, Clemétem, Martialem, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Hilarium, Gregorium Chryſoſtomum, Cyrillum, Baſilium, Bernardum & cęteros: inde Berengarium, qui tamen recantauit, Lutherum, Oecolampadium, Caluinum Suencfeldium, eorumq́. diſcipulos, qui prædicta Chriſti verba non ſolum contra veterum ſententiam, ſed etiam contrariè inter ſe ęxponunt ſinguli quemadmodum ſibi viſum eſt. Cùm ergo venator aliquis, miles, centurio, negotiator, medicus, pharmacopola, cæmentarius, ſutor quiſpiam, aut certè aliqua iſtorum muliercula audit vel legit, quid Lutherus, quid Caluinus, aut Zuinglius de hoc articulo ſenſerint, reiectaq́. fide, quam à ma-

ioribus

ioribus acceperant, alicuius iſtorum opinionem eligit & amplectitur, hunc in iſto negotio iudicis partes inter omnes iſtos doctores ſibi vindicare dico; ita vt vnius probata ſententia alios omnes illi repugnantes condemnet. vt ſi Caluini opinionem probet, non ſolum veterum fidem tamquam falſam improbant atque condemnant, ſed etiam Lutherum & Oecolampadiũ; qui quamquam & contra ipſam fidem, & inter ſe ipſi & aduerſus Caluinum pugnant; tamen haud aliter ac Caluinus ſe veritatem inueniſſe ſinguli gloriantur. Itaque perſpicuum eſt, qualem de ſeipſis opinionem iſti conceperint. nam cùm inter tam multos viros eruditione præſtantes iudicare non dubitant, ſeſe ſapientiſſimos ac doctiſſimos omnium, quos vmquam orbis viderit, haberi velle, planum omnibus faciunt.

In quo tertium incredibilis illorum arrogantiæ, ſtuporis, ſuperbiæ documentum luculenter apparet. non ſolum enim ſeſe omnibus antiquis eccleſiæ patribus anteponunt, ſed etiam ipſo Caluino, cuius opinionem amplectuntur, probant, eligunt, ſe doctiores arbitrantur. Sed tamen qui ſint, memoria retinete. ſemper enim cæmentarius eſt cæmẽtarius. Ita pharmacopolæ, ſutores, mulierculæ, quantumcumque de ſeipſis ſentiant ac

Hæretici ſua Caluino ſe doctiores eſſe arbitrantur.

prædicent, tamen in eodem luto hærent, nec conditionem ſexúmve mutarunt. Quantum autem iſti ſibi tribuant, facilè doceri poteſt. Quiſquis autem ſeſe ingerit, vt inter homines doctos de aliqua materia diſſidentes iudicis officio ac munere fungatur, aut certè id rogatus facit, vt vter illorum doctius in controuerſa materia dixerit aut ſcripſerit, ſententiam ferat: nónne hoc ipſo eiús artis ac diſciplinæ, quam illi profitentur, ſe ambobus diſſidentibus peritiorem eſſe demonſtrat? Iſti certè quidem, de quibus agimus, ſeſe ingerunt, vt inter eos omnes theologos, quos ſuprà enumerauimus, quis eorum abſolutiſſimus ſit, iudicent. Conſequens eſt igitur, vt ij ſeſe illis omnibus doctiores, ac ſacræ theologiæ peritiores arbitrentur. Et quoniam ipſe Caluinus, quem omnibus aliis ſua ſententia prætulerunt, vnus illorum eſt, ſequitur etiam illud, vt ſe ipſo quoque Caluino præſtantiores eſſe exiſtiment. Sed vt iſtorum incredibilis arrogãtia faciliùs perſpici poſſit, fingamus omnes illos doctores, quos ſuprà enumerauimus, adhuc viuere, diémque, quo inter ſe diſputaturi ſint, conſtitutum eſſe. iam omnes deſcenderunt in arenam, magna panegyris, frequens hominum conuentus, ſumma omnium exſpectatio. Inter hæc, erectis omnium animis, celſum tribunal in medio exſtructũ, ac iudi-

Arrogantia hæreticorum oſtenditur. Hypotyposis.

ac iudicibus præparatum, ſi quis aſellus bipes aſcendat, aut certè aliquis medicus, pharmacopola, ſutor, mulier, aut aliquis alius ex ea fece hominum, qui ad extremum inter illos ſumma doctrina & eruditione pręſtantes viros ſententiam ferret ac diceret; horum omnium doctiſſimum Caluinum eſſe cenſeo, hic omnium theologorum optimè & dixit & ſcripſit. Quid iſti omnes ſciant, noui; totam ſcripturam ſanctam, & quidquid de illa omnes vbique gentium ſcripſerunt, teneo. Quare Caluinum ſcripturas ſanctas optimè omnium interpretatum eſſe iudico, pronuncio; quis audientium rei indignitate non maximè commoueretur? quis huiuſcemodi iudicem æquo animo ferret? Sed dicet aliquis: nemo eſt inter aduerſariorum greges, qui ſibi tantum tribuat ac vindicet. verbo id fortaſſe verum eſt, ſed res hîc non verba ſpectãtur. quid enim verba audiam, cùm facta videam? quiſquis enim ſeſe idoneum exiſtimat, qui inter eos omnes, quos enumerauimus theologos, iudicet ea quoq. omnia, ſine quibus rectè iudicare non poteſt, in ſe eſſe exiſtimare non dubium eſt. Quem autem omnino reperies, in quo ea ſint omnia, qui tãta ſit eruditione atque doctrina, quantam iſti fatui ſe habere arbitrantur? quis autem ſani capitis iſtorum fanaticorum hominum au-

Factis & operibus ſe alios antecellere, præſumere hæretici teſtantur.

daciam, cum incredibili arrogantia ac temeritate coniunctam, æquo animo ferat? quis tantam non rideret inſaniam? quis iſtos non diceret emotæ mentis, ſi quid vmquam mẽtis habuerunt? Tales attamen iudices in hac maxima cauſſa grauiſſimaque controuerſia, quæ inter tam multos ſummos viros, quos antè enumerauimus, diſceptatur, aduerſarij delegerunt: horum iudicum ſententiæ ſeſe ſubmittunt, omnes autem alios reiiciunt. Ceterùm quis iſtorum miſerorum amẽtiam ac illuſionem ſatis demirari queat? qui omnibus theologis cùm veteribus tum nouis, propterea quòd homines eſſent, tamquam minus idoneis huius cauſſæ iudicibus reiectis, ſeſe iis & morum integritate, & doctrina longè inferiores, nihilominus ſatis aptos & idoneos arbitrantur, qui de hac controuerſia iudicent, ac tanta auctoritate definiant, vt totus orbis terrarum, omni alia, qua antè imbutus erat, opinione depoſita, illorum ſententiam amplecti deberet. En quanta eſt iſtorum arrogantia, quantus ſtupor, quanta ſui obliuio, in quam eos aduerſarij præcipitarunt, vt in reliquis fidei partibus eorum ſimplicitate pro ſua libidine abuti poſſent!

Inſani hæretici iudicandi ſunt.

Et ſanè Deus videns eos ita inſolentes, & adeò ſuæ exiguitatis ac ruſticitatis oblitos, vt quem-

quemadmodum oſtendimus, incredibili ſuperbiâ tumerent ac ſeſe efferrent, iuſto iudicio eos paullatim in tantam errorum voraginem labi permiſit, vt ad extremum nullam fidei partem retineant, atque ita deſerto itinere ſalutis ac vitæ, in ſempiternum interitum concitatiſſimè properent. Solet enim Deus ita multare ac perdere ſapientiam eorum, qui ſibi ipſis placent, ac nimis ſapientes videntur, vt tandem tradantur in reprobum ſenſum ac pereant. Et (vt ait Apoſtolus) eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideò mittit illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati. Sed vt iſtorum hominum ineptia pleniùs intelligi poſſit, omnibuſque planum fiat, quàm parum idonei ſint ad iudicandũ de iſta cauſſâ, qualis eſſe debeat iudex, quem quærimus & agnoſcimus, obiter demonſtrandum eſt.

Eos, qui ſibi ſapientes videntur, qualiter Deus puniat.

Rom. 1.

2. Theſ. 2.

Iudex igitur, cuius ſententiæ ſeſe aliquis in controuerſiis religionis ac fidei ſine periculo ſalutis ac vitæ committere poteſt, non ſolum adeò incorruptus atq. integer, vt nullus ſit timori locus, néve propter ſiniſtrum aliquem affectum decipiat, ſed etiam ita ſapiens eſſe debet, vt mihi certum ſit ab illo ob imperitiam, in iis quibus animæ ſalus conſtat, in errorem induci non poſſe. nam cùm

In iudice qualis ſapiẽtia deſideratur.

agitur

agitur de negotio ſalutis ac vitæ, non eſt temerè credendum omnibus, qui & ſpiritu præditos & eruditione præſtantes, atque ad alios rectè moderandos ſeſe idoneos eſſe dicunt. Et, vt quod ſentio paucis exponam, nollem animam meam cuiquã committere, niſi ei cui Spiritum ſanctum ad omnia dubia, quæ circa fidem ſaluti neceſſariam oriri poſſunt, diſſoluenda adeſſe certò ſcirem. Et quoniam omnes ſe hoc ſpiritu præditos eſſe iactare poſſunt, quemadmodum hoc ſæculo ἐνθουσιαστῶν nimis magnus eſt numerus, nulli hoc ſpiritu ſe afflatum eſſe aſſeueranti, quantumuis ille doctus & fictus ementita ſpecie ſanctitatis imponat, vllo modo credendum niſi quod dicit, id ſacræ ſcripturæ auctoritate confirmauerit. Et quoniam in omnibus diuinis voluminibus nullus alicuius hominis ſæculi noſtri non Caluini, non Lutheri, non Bezæ, non Vireti, non alterius cuiuſpiam ex iſtorum grege ea fit mentio, vt Spiritu ſancto præditus eſſe dicatur, quamquam iſti omnes, vt id mihi perſuaderent, millies deierarent, ac ſeſe ni ita ſit diris deuouerent, tamen nullo modo crederem. Sed de ſancta matre ecclesia Romana, quæ nobis in magiſtram diuinitùs data eſt, multis in locis ſcriptum eſt, huic Chriſtum Dominum ac ſponſum eius, huic Spiritum ſanctum adeſſe perpetuò Euangelia

[Margin: Non legitur in ſcriptura aliquem hæreticorũ Spiritum ſanctũ habuiſſe.]

[Margin: Ecclesia ſancta catholica Romana nobis magiſtra data eſt. Matth. 28.]

angelia ſacra commemorant. Itaque hanc Apoſtolus Paullus Dei domum ſapientiæ plenam, & columnam ac firmamentum veritatis appellat. Huic igitur vni, & iis magiſtris, quos illa probauerit, credam; hanc controuerſiarum eccleſiaſticarũ iudicem agnoſco. Omnes alij quamuis doctos, quamuis ſanctos ſe eſſe dicant, quamuis Spiritum ſanctum buccis crepantibus promittãt, donec eos approbabit mater eccleſia Romana, mihi ſemper erunt ſuſpecti. nam cùm (vt antè dicebam) de graui illa materia agitur, è qua noſtrarum animarum ſalus pendet, vni homini credere extremæ profectò dementiæ eſt, niſi illũ conſtaret vſq. adeò doctum eſſe vt errare non poſſet, & integrum, vt nulla neq. cupiditate, neque ambitione, neq. libidine adduci valeret, vt falleret. Sed vbi reperiemus talẽ? quis eſt hic & laudabimus eum? vt ſcriptura inquit. nullus profectò hominum talis eſt. Sed ſancta mater eccleſia Romana in ſuo ſummo paſtore, ſuiſq. conciliis œcumenicis, & patrum vnanimi conſenſu, ſuo illo priuilegio fungitur, vt cùm in rebus ad fidem pertinentibus aliqua dubitatio naſcitur, errare nõ poſſit. Chriſtus enim, cuius verba tranſire non poſſunt, ei in ſuo paſtore Petro hoc promiſit, dicens: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Si ergo Chriſtus qui pro ſua

Ioan. 14.
1. Tim. 3.
Quibus in fidei cauſſis credendum ſit.
Eccle. 31.
Eccleſiæ priuilegiũ quod ſit.
Luc. 22.

Heb. 5. reuerentia exauditus eſt, vt ait diuus Paullus: hoc rogauit, nemini dubium eſſe debet quin hoc eccleſiæ Romanæ generali paſtori Petro ipſiuſque ſucceſſoribus conceſſum fuerit.

Sed quis ſæculi noſtri nō miretur inſaniā? Miles aliquis aut pharmacopola, aliúſve neſcio quis negotiator, aut denique muliercula abſque ſcripturæ alteriúſve rei cuiuſcumque teſtimonio, ſe hoc gemino priuilegio frui dicet, vt cùm de fidei controuerſiis iudicat, in quibus totam eccleſiam cum illius moderatore Spiritu ſancto, omnibuſque doctoribus nouem ſæculis aut etiam amplius iſti errаſſe contendant, is neque errare, neque quemquam fallere poſſit. *Magna hæreticorum miſeria eſt.* Quid igitur iſtis ita deceptis, & in tantam ſui obliuionem adductis, miſeriùs excogitari poteſt? nullas vmquam litteras attigerunt, nullis diſciplinis imbuti ſunt, numquam decimam partem diuinorum voluminum perlegerunt, antiquorum neque opera attigerunt, neque libros habent. non auderent labra diuidere, vt coram ſani capitis hominibus de Medicina, Aſtrologia, Muſica, Geometria, Rhetorica, Dialectica, Phyſica, aliiſque huiuſcemodi diſciplinis diſſererent. de Theologia autem, qua nihil maius, nihil ſublimius, nihil diuinius, nihil ipſorum quoque iudicio difficilius obſcuriúſve cogitari poteſt, in qua tantos viros tot

ſæculis

ſæculis erraſſe contendunt, diſceptare, diſſerere, iudicare tanta cum fiducia audent, vt omnia ex Apollinis tripode adferre videantur. Quis tantæ auctoritati audeat repugnare? immo verò quis tam deteſtabilem ac ſacrilegam ſatis demiretur audaciam? quæ tantam illuſionem ac tam admirabilem, qua miſerorum ingenia faſcinata ſunt, explicare poſſit oratio? Quibus illud diui Paulli; O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire verbo veritatis; dicere poſſemus. Dicam autem quis iſtos ita faſcinauit, decepit, illuſit. Aduerſarij, qui dum iſtis miſeris ſcripturam ſacram adeò facilem ac peruiam eſſe perſuadent, vt ab omnibus minimo negotio capi explicarique poſſit, iſtos in tantam ſui ignorantiam, ac tam miſerabilem ſuæ imperitiæ obliuionem adduxerunt, vt iam qui ſint omnino neſciant. Sed cur eos aduerſarij ita faſcinandos putarunt? Dicam & quidem aliquanto breuius, quàm tanta res dici poteſt. mihi namque propoſitum eſt, illos cuniculos, quibus aduerſarij arcem catholicæ fidei clanculum ſubruere, & ſenſim euertere moliuntur, detegere, in lucemq. proferre. Quos quanto ſtudio ſuis illi ſub iis inuolucris eoque prætextu quaſi præclarum ac egregium facinus aggreſſi ſint, celare contendunt; tanto diligentiùs, vt & quid illi moliantur, & quo

Gal 3.

Hæreticorum magna eſt infamia.

Hæreticorum dolos detegere auctor intendit.

illorum ſcelerata fraus ac occulta calliditas tendat, planum omnibus faciam, mihi elaborandum eſt. Quæ ſanè cauſſa eſt, vt hoc in loco diutius aliquanto hærere videamur.

Hæretici quibus fraudibus rudes & idiotas decipiunt.

Illud igitur in primis animaduertendum eſt, aduerſarios eo fuco falſáque pietatis imagine, qua incautis ſeſe venditabant, cùm ita dicerent: noſtrum ſtudium eſt vt doctrinæ Chriſti & Euangelij veritaté orbis agnoſcat, qua eccleſiaſtici & monachi, ne homines ad ſapientiæ lumen aſpirent, & tandem illorum errores intelligant, è medio ſublatam volunt, hac inquam ſimulatione pietatis & in populum beneuolentiæ ſpecie non modò nos hominibus reddidere ſuſpectos, eorumque in nos odium accenderunt, quaſi capitales illorum eſſemus hoſtes, verùm etiam magnum idiotarum ac illitteratorum hominum, vt ſua opuſcula dicam an commenta, & biblia à ſe in vulgarem linguam conuerſa legerent, impulerunt. iiſque vt non minus confidenter, quàm quiuis theologiæ doctor de iis quæ legiſſent ſententiá ferrent, facilè perſuaſerunt. Quò facto in tantum errorum numerum miſeri ſua credulitate inciderunt, vt nihil iam addi poſſe videatur. ita aduerſarij illis idiotis pro ſua libidine abuſi ſunt. nos verò cùm huiuſcemodi pericula præuideremus, ne aut illorum libros, aut ab iis in vulgarem linguam

Hæretici ſuos libros legẽdos eſſe qualiter ſuaſerunt.

guam conuerſa biblia legerent, aut de illorum cauſſa ſibi vllo modo iudicandum putarent, interdicebamus. Nec tamen omnes à ſcripturæ ſtudio deterrebamus, ſed eos tantum quos & proprer exilis ingenij imbecillitatem ad hoc ſtudium ineptos, & in eam arrogantiam animique tumorem, de quo ſuperius diximus, procliues eſſe iudicabamus. Illis igitur ſatis eſſe dicebamus, quod in legitimorum eccleſiæ catholicæ miniſtrorum concionibus diſcere poſſent. Quæ ſanè germana eſt ratio fidem diſcendi, iuxta Apoſtoli ſententiam, qui ait: Fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Fides inquit, ex auditu, non ex lectione; ſine magiſtro enim & catechiſta fides commodè percipi non poteſt. Aliis autem quos aptos videbamus, iis vt theologorum ſcholas & Academias frequentarent, & prius ſummorum virorum diſcipuli, quàm aliorum magiſtri eſſe vellent, admonebamus.

Scripturæ ſtudium quibus interdicebatur.

Rom. 10.

Ita ergo noſtrorum diſcipulorum duo genera noueramus. Alij εὐςόμαχοι erant, quibus ſolidum cibum non denegabamus: alij κακοςόμαχοι, quibus cibos nutricum more præmandendos exiſtimabamus. Quemadmodum enim ſtomachorum magna differentia eſt; nam illi inſtar ſtruthionũ omnia quamuis dura & cruda facilè deuorant; hi verò

Diſcipulorum duo ſunt genera.

adeò imbecilles ſunt, vt nihil quamuis coctum aut elixum digerere valeant. Ita hominum

Simile. ingeniis vſu venit. alij ſiquidem vt fidei noſtræ diuina myſteria capiant apti ſunt, alij inepti. & quamquam omnis ſcriptura ſancta ſit ac ſalutaris, in ea tamen certa loca ſunt, quæ omnium ingeniis non conueniunt.

Simile. Et quemadmodum carnes quamquam ex ſe bonæ ſunt, crudæ tamen ſi ſumantur, huic ob ſtomachi imbecillitatem oberunt, morbumque parient; illi verò firmiori non modò non nocebunt, ſed etiam proderunt ac corpori robur adiicient. ita diuinæ, ſcripturæ cibus, ſi certis ingeniis crudus, id eſt clara perſpicuaque explicatione minimè decoctus ingeratur, eorum ſaluti plurimũ officiet, errorumque morbos creabit. Alij autem in theologiæ diſciplina ſub integris eruditiſque magiſtris diu multumque verſati, crudis abſque periculo veſci poſſunt. Hebræi principium Geneſeos & Canticũ cãticorum ante triceſimum annum legi nolebant. & Dominus diſcipulis loquebatur: Vobis datũ eſt noſſe regnum Dei, ceteris autem in parabolis. Idem ſanctum dari canibus & margaritas mitti ante porcos vetabat. Inter auditores diuinæ ſapientiæ diſtinguendum eſſe, ab Apoſtolo quoque Paullo didicimus, qui ouiũ Chriſti paſtoribus nutricis proponit exemplum,

Hebræorum in ſcripturis legendis conſuetudo.

Luc. 8.

Matth. 7.

1. Theſ. 2.

plum, vt ad eius imitationem ſuis ouibus ſalutare verbi Dei pabulũ adminiſtrent. Quid igitur prudens nutrix? num imbecillioribus infantũ ſtomachis ſolidos ingerit cibos? minimè verò. ſed initio dulcedinem lactis inſtillat, deinde polentam adhibet; ad extremum panem ſolidioreſque cibos præmanſos ori ingerit: atque ita gradatim ad incrementa virium, roburque corporis capeſſendum imbecillis formatur infantia. *Nutricis prudentis modus in infantis educatione proponitur. Simile.*

Quid igitur Apoſtolus? Nónne in negotio adminiſtrandi ſalutare verbi Dei pabulum inter fideles ad iſtum ferè modum perſpicuè diſtinguit? Aliis, inquit, lacte opus eſt, aliis ſolido cibo. id eſt, hi ſublimia diuinaque ſcripturæ ſanctæ, fideique Chriſtianæ myſteria capere poſſunt; illi verò non poſſunt, ſed ſcrutatores maieſtatis nimium curioſi ſæpe opprimuntur à gloria. Itaque Apoſtolus ſaluberrimè præcipit, vt paſtores & doctores, antequam ouibus ſuis verbi Dei pabulum adminiſtrent, earum qualitatem diligenter aſpiciant. Vnde & iis ſeſe proponit exemplũ, dicens: Inter perfectos ſapientiam loquimur, id eſt de ſublimibus fidei noſtræ myſteriis diſſerimus: inter paruulos autem & idiotas humiliùs loquebatur; ac ſeſe illorum ſimplicitati accommodans, illam maieſtatem quodam modo demittebat. Timo- *Heb. 5. In doctrina tradenda quẽ modum obſeruandũ diuus Paullus præſcripſerit. Prouerb. 25. 1. Cor. 2. Heb. 5.*

2.Tim.2.

theo ſcribens, idem præcipit dicens: Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes; hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Ita Apoſtolus non omnia quæ Timotheo tradiderat, vnicuique communicanda ducebat, ſed quædam arcana doctis tantum ac fidelibus, & qui alios docerent idoneis, committi volebat.

Eccleſia catholica Romana in inſtituendis filiis ſuis quẽ modum ſeruauerit.

Hanc vtiliſſimam legem ac diſciplinam in inſtituendis filiis ſuis ſemper obſeruauit mater eccleſia. in quo ſanè non ſolum Chriſti Apoſtolorumque eius præceptis obtemperat, ſed etiam imitatur exempla.

Non igitur occultandæ veritatis ſtudio, quemadmodum aduerſarij mentiuntur, interdixit ac vetuit, ne paſſim hæreticorum libri, aut ab iis in vulgarem linguam conuerſa biblia legerentur, ſed Apoſtoli præcepto obtemperans, legemque ab illo perſcriptam obſeruans, id ſtatuit. Quæ quoniam hoc noſtro ſæculo violata eſt, quanta opinionum errorumque confuſio in Chriſtianum orbem inuecta ſit, ipſa experientia docet. Ex quo intelligi poteſt, quàm iuſtis de cauſſis, quoque modo huiuſcemodi legem ſanxerit. Aduerſarij autem multis verbis in matrem eccleſiam Romanam inuecti ſunt, quòd eam legem in filiorum ſuorum inſtitutione ſibi obſeruandam

Tit. 3.
Libros hæreticorum quare eccleſia interdicit.

ſeruandam

ſeruandam duxerit; ſed cur id ita decreuerit ſtudioſè celarunt, illud vnum identidem inculcantes, ſcripturam ſacram facilem omnibus ac peruiam eſſe, vnumquemque ex ſola Euangelij lectione nō ſolùm diuinas litteras, verum etiam arcana fidei myſteria per ſe capere poſſe. ita omnibus abſque vllo diſcrimine omnia fidei noſtræ arcana communicant: ita Euangelicas margaritas porcis, fidei ſacroſanctæ myſteria canibus obiiciunt & offerunt. Sic omnia profanant, miſcent atque confundunt, cùm pulcherrimum ordinem ab Apoſtolis in eccleſia conſtitutum, paſtoribuſque præſcriptum euertunt. *Matth. 7.*

Sed dicet aliquis: Cur talia machinantur? certè non eo nomine quòd illos veſtræ ſalutis vllum deſiderium tangat, ſed vt ſub hoc ſpecioſo titulo id quod ad opprimendā veritatē moliebantur, tegerēt ac celarent. Nam cùm eccleſiam criminarentur, eamque iniuria ac perperam interdixiſſe dicerent, ne omnes pro ſuo arbitratu eorum ſcripta peruolutarent, nihil profectò aliud agebāt, nihil moliebantur, niſi vt quemlibet è vulgo, ad cognoſcendum de iſta controuerſia, quam ipſi in eccleſia ſuſcitauerant, allicerent. nec verò dubitabant, quin ab huiuſcemodi temerariis fatuiſque iudicibus breuis ac ſtulta ſententia diceretur. Certè ſuos errores ſe artifi- *Veritatem opprimere hæretici intendūt.*

cio orationis & eloquentiæ pompa interim ita fucaturos, ac veri ſimilitudine adumbraturos eſſe confidebant, vt iis dubium non eſſet, quin antequam vnuſquiſque fraudes ac dolos eorum intelligeret, illaque breuia ac ſyrtes ſophiſmatum tranare poſſet, aliqui inter illos fallaciæ laqueos irretiti caperentur. Et ſanè cœperũt nimis multos ex iis, qui improuidi & incauti, neque eorum laqueos ac inſidias ſollicitè declinarũt, neque, quemadmodum Vlyſſes eiuſque comites illarum Sirenarum cantus, obthuratis atque ſurdis auribus tranſierunt.

Diſsimile. Vlyſſes.

Sirenis hæretici meritò cõparantur.

Cum Sirenis autem iſti meritò conferuntur. vt enim illæ inter Siculi maris Scyllam & Charybdim nauigantes blando carmine ſopire cõſueuerant, vt in ſcopulos delati naufragium facerent; ita iſti Maroticorum pſalmorum ſonoro cantu plurimos ad facienda fidei naufragia illiciunt, eoque lenocinio captis, & pium ac ſobrium matris eccleſiæ cantum ac miſſæ ſacrificium cultumque diuinũ, in eccleſia Chriſtiana ſollennem, ac ſtatum deſerere, & ſe alienæ ſuæque ſalutis proditores ſequi perſuadent; ac demũ in abruptum hæreſum barathrum merſos, errorumque ſcopulis illiſos, in mortem præcipitant ſempiternam.

QVANTA

QVANTA CALLIDITATE HÆRETICI, PRINCIPES,

alióſque non theologos, cauſſæ ſuæ iudices ſe admittere ſimulant, vt eccleſiæ Romanæ, ac conciliorum generalium & theologorum iudicium ſubterfugiant.

CAPVT VI.

SED, vt eò vnde digreſſa eſt reuertatur oratio, non defuit aduerſariis alia quædam occaſio perſuadendi vnicuique, vt de eorum cauſſa cognoſcerent, & vtrum ea ſcripturæ ſanctæ quadraret, iudicarent. Cùm enim ſe, tamquam hæreticos totius orbis Chriſtiani conſenſu ab initio cōdemnari, ſuamque doctrinam ab omnibus improbari ac reſpui intelligerent (omnes ſiquidem Pontifices, Cæſares, Reges Chriſtiani, denique omnia cōcilia œcumenica ſimul ac prouincialia eos conſentientibus animis, ac pari ſeueritate damnauerant) tum demum rebus ſuis diffidentes, cùm qui illorum doctrinam amplecteretur inuenirēt neminem, actum eſſe facilè videbant, niſi iis perſuaderent, qui ad iudicandum de ſua cauſſa inepti erant, & ad quos iudicandi officium minimè ſpectabat, id eſt laicis, idiotis, aliiſque quibuſuis è vulgo, vt de ipſa cauſſa diſceptarent atq. cognoſcerent. Itaque ſcribendis libellis & in-

Hæreticorum callidum conſilium, vt eorum ſententia approbaretur.

uectiuis orationibus in veteres ac nouos theologos, inconditiſque clamoribus perſtrepentes, indignum facinus, veritatem opprimi, ſe tamquam hæreticos iniuria condemnari, his inquam artibus, diligentia, ſtudio perfecerunt, vt multos, qui in aliis artibus ac diſciplinis elaborantes, theologiam ne attigerant quidē, ad ſuorū librorū lectionē allicerent. Ex quibus (vt illi dicebant) cū intellexiſſent, quāta afficerētur iniuria, tū demū ſua innocētia, ac ipſius cauſſæ æquitate perſpecta, ſententiā de iſta re theologica ferre poſſent, quod à theologis ritè atq. ordine factum negabant.

Quorum gratiam & fauorē ſibi prius cōciliare hæretici ſtuduerint.

In primis igitur quorundam Oratorum, Poëtarum, Dialecticorum, Philoſophorum, Medicorum, aliorumque qui huiuſcemodi litteris ac diſciplinis incumbunt, fauorem ſibi conciliandum putarunt; nec enim ignorabant callidi homines, quantum in iis ad ſuam ſectam tuendam præſidij, quātum ad propagandam adiumenti eſſet, ſi eos in ſuam ſentētiam ſemel allicere potuiſſent: nec ita difficile fore videbant, homines in theologia minus exercitatos parumque verſatos in ſuam naſſam inducere. quos vbi ceperunt, tum demum ad alios quoque inferioris ſortis homines ſeſe conuerterunt, id eſt, ad infimam plebem, ad pharmacopolas, tonſores, negotiatores, milites, centuriones,

mani-

manipularios, ſutores, ipſaſque mulierculas, iiſque omnibus ſupplices facti ſunt, vt & ſuos libros legere, & cauſſæ ſuæ æquitatem inſpicere dignarentur: ac ita tandem ſententiam ferrent, vtrúmne illi iure, an iniuria nouum doctrinæ genus, quam iſti theologi tamquam hæreticam condemnabant, in orbem inueherent. Neque verò illud prætermittendum putabant, ſe à Pontificum & conciliorum generalium ſententia prouocaſſe, à quibus ſi auditi, ſi illorum libri lecti fuiſſent, ſe eos in iudices admittere, nullamque niſi eorum ſententiam ſe recipere velle aſſeuerabant. Nec tamen hoc vlla ratione facturi erant, niſi certa conditione, quam illi verbo reticentes, animo tamen reſeruabant; nimirum vt ij iudices pro ſe ſententiam dicerēt. nam ſi quiſquam eorum contra illos pronunciaſſet, non ſolum ab eius ſententia appellabant, ſed eum etiam è iudicum albo expungebāt, aut quòd imperitus eſſet ac fatuus, aut quòd eius non eſſet de huiuſcemodi cauſſa iudicare, aut quòd à ſpiritu ſancto nondum illuſtratus eſſet, aut certè quòd veritatem intelligēs, principem aliquem Papiſtam offendere, ac proinde beneficio priuari vereretur, ac ſi verum dicere non auderet. ita aduerſariis, quod cōtra eos dicerent quos iudices admiſiſſent, niſi pro ipſis iudicaſſent, falſaq. eorum dogmata

Hæreticorum fraudulenta perſuaſio.

ſuo calculo comprobaſſent, numquam deerat. Quamquam enim iſti, cùm primum ad Rhetores, Philoſophos & Poëtas ſæculi noſtri, aut etiam principes nobileſve vtriuſque ſexus accedunt, eos mirificè laudant, eorumq́ue ſapientiam ac eruditionem ſe admirari dicunt, à quibus ſi tãtum auditi fuerint, illorum ſententiæ ſe libenter obtemperaturos eſſe profitentur. tamen ſi quis illorum iſtos adulatores fortè condemnet, eorumq́. dogmata reiiciat atque improbet, quamuis ille prudens, eruditus, ſapiens ſit; ita tamen omnia ſtatim perdit, vt indoctus ex erudito, ex ſapiente fatuus, ex prudente aſinus ſubitò fiat. in eoq́ue ſuum erraſſe iudicium iſti fatétur, cùm hominem ſuis laudibus indignum ornarunt. Quòd ſi illum doctum ac ſapientem eſſe negare non poſſunt, dicent tamen, illi veritatem quidem eſſe perſpectam & cognitam, ſed ob certas cauſſas, quas ſtatim comminiſcentur, eam prodere & deſerere affirmant.

Hæretici adulatione vti conſueuerunt.

Sed contra, ſi quis pro iſtis ſententiam dixerit, quamuis ille fatuus, ſtipes, indoctus ſit; omnium tamen quos vnquam ſol viderit, doctiſſimus ac ſapientiſſimus ab iis habebitur ac dicetur. Quid opus eſt multis? Talem in cælum laudibus vehent, talem optimum ac præclariſſimum prædicabunt. His artibus tantum

Iudicem ſuis erroribus fauentem hæretici requirebant.

tantum hominum numerum ineſcarunt, vt plerique fatui reperti ſint, qui vt ſtultitiæ notam, qua iure meritoque inuſti erant, abolerent, in eorum factionem parteſque tranſierint, vt eo præconio, quo iſti ſuos celebrare conſueuerunt, ornati, deinceps ſapientes haberentur. Noui ego quoſdam, qui vt eam ſibi apud homines opinionem ſapientiæ compararent, fidem deſeruerunt: quibus tantum ea metamorphoſis profuit, vt non modò ij ſint qui antè fuerant, ſed etiam in eorum animis ſtultitiæ incrementa perſpicua ſint. Quod profectò non dicerem, niſi quoſdam illorum hoc confitentes audiſſem. Sed iſtos miſſos faciamus, ad propoſitumq. redeamus.

Hæreticis ſua metamorphoſis parum profuit.

Dicebamus aduerſarios nullum iudicem admittere, niſi eum qui pro ipſis ſententiam ferret; qui ſi fortè deeſſe videatur, non antè deſinent permutare ac reiicere iudices, quo ad omnes pro ſe viderint iudicare. Tantus eos Berengarij aliorumque veterum hæreticorum patriarcharum ſuorum amor tenet. quos cùm diligenter intueor, iis litigatoribus, qui pertinaciter litem vincere cupiunt, mihi perſimiles videntur; quibus etſi dicatur eos contra ius omne, legeſq. niti, quamquam ordinarij iudices contra eos ſæpe pronunciauerint; numquam tamen deſinent appellare, iudiceſque mutare, donec aliquem inuenerint,

Litigatoribus pertinacibus hæretici ſimiles eſſe cẽſentur.

rint,

rint, qui pro ipſis ſententiam ferat. Ita Lutherus ab initio, quo ſuos errores ſparſit in vulgus, facere inſtituit; nam in primis ſummi pontificis, ouiumque Chriſti paſtoris ſententiæ ſeſe ſubiecit, ad eumque, quàm modeſtiſſimè fieri potuit, litteras ſcripſit, ſe præter illum, qui de ſua cauſſa iudicare deberet, agnoſcere neminem. Ipſius denique Lutheri verba hæc ſunt: Viuifica, occide; voca, reuoca; approba, reproba vt placuerit, vocem tuam, vocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam. Sed vbi Pontifex eius cõdemnauit errores, tum iſte in eum furere, ac petulantiſſimè inuehi cœpit, negans illum cauſſæ ſuæ iudicem eſſe debere. Ita à ſedis Apoſtolicæ ſententia ad celeberrimas orbis Chriſtiani Academias Pariſienſem ac Louanienſem appellat: quas vbi multis laudibus ornaſſet, eaſque totius orbis præclariſſimas eſſe dixiſſet, tum verò earum iudicio cauſſam ſuam ſe ſubiicere demonſtrat. Quid opus eſt multis? vbi ſe nouumque ſuum doctrinæ genus ab iis Academiis damnatum eſſe ſenſit, tum confeſtim in eas acerbiſſimè ac furioſiſſimè ſcripſit; nec quidquam in Sorbona intactum reliquit, ne ipſa quidem ſubſellia, quæ theologis non obiiceret. Illud certè conſtat, tantam hominis impuri fuiſſe inſolentiam, vt ſe facetum non putaret, niſi in ipſas illorum

Lutheri diligentia impia, vt iudicẽ ſuis erroribus propitium inueniat, oſtenditur.

Lutheri inſolentia contra academias ei repugnantes.

illorum epomidas ac pileos, pelliumque varietates, quibus ij vtuntur more maiorum, pro ſua libidine iocatus, immo inuectus eſſet, illoſque cum ſuis cenſuris deriſiſſet.

Sed nutabundus ac dubius ad generale concilium appellat. Coacto concilio cùm ſuos errores videret illius auctoritate damnari, tum demum patrum maiorumque maturo relicto conſilio & ſententia, volens, ſicut alter Roboam, imperitorum iuuenum iudicium ſequi, ad populum prouocat, eique libellis in vulgarem linguam editis cauſſam ſuam aſſignat atque committit. Quo artificio, vel potius faſcino, plerique ab eo demētati ſunt, cùm viderent quantum illis iſte deferret, vt eorum iudicio, quod ceteris, à quibus iam prouocauerat, anteponebat, ſeſe ſubmitteret. Ita ſuſcepto iudicandi officio, cōtra eum, qui illos in tantum honoris euexerat, pronunciandum non putarunt, ſed ei gratiam referendam eſſe duxerunt. Alij ſapientiores eccleſiæ Chriſtianę ſententia iudicioque contenti, illius cauſſę cognitionem ne attigerunt quidem: nonnulli verò theologorum ac eccleſiæ ſanctæ catholicæ Romanę iudicium ſecuti, eum condemnare minimè dubitarunt.

Lutheri faſcino plures decepti ſunt.

Quod cùm iſte factum eſſe ſenſiſset, tum verò à totius orbis iudicio ad ſuum tribunal

appellat,

appellat, clamans ac perſtrepens, ſe nullum niſi ſcripturam admittere iudicem;quam tamen pro ſuo arbitratu explicaret : omnium enim doctorum commentarios ac explanationes, niſi quas ipſe proferret, reiiciebat. quæ quales fuerint, gemens terrarum orbis expertus eſt. Ita iſte à totius mundi iudicio ad ſeipſum tamquam ad ſummum iudicem appellat. Quod ſi homini amenti furioſoque conceditur, fieri non poteſt, vt is vmquam cauſſa cadat, niſi fortè exſpectandum ſit, vt qui ſibi vni plus quàm omnibus tribuit, ſuaſque opiniones tam impotenter amat, tam obſtinatè pertinaciterque defendit, is contra ſeſe ſententiam dicat, ac ſe ipſe condemnet. Cuius exemplum diſcipulorum illius factio ſtudioſè ſequuta eſt, reiiciendo ſubinde iudices, donec ad extremum, omnium aliorum ſententiis condemnatis, ad ipſos tamquam ſummos iudices ventum eſt. Qui omnes quamdiu concilia, Academias, alioſque ordinarios iudices pro ipſis pronunciaturos eſſe non diffidebant, eos audire parati erant, eorumque iudicio ſe contentos ac ſubditos eſſe fingebant : ſed vbi ſe ab illis damnatos eſſe ſenſerunt, tum mirum in modum tergiuerſati, nodum in ſcirpo quæſierunt, vt illorum ſententiam effugerent.

Lutherus ad ſeipſum tamquã ad ſummum iudicem appellat.

Lutherus quãdo academias venerabatur, & quãdo eas ſpreuit.

Ad hęc cùm imperatores & reges pro ipſis iudicatu-

iudicaturos eſſe confiderent, dici non poteſt quàm officioſè ac ſubmiſsè eis ſcriberent, ſe illorum iudicio ſubiici velle fingentes. at vbi Carolum Quintum Imperatorem, Chriſtianiſſimos Galliæ reges duos Franciſcos,& qui horum ætatibus interiectus, virtute cum vtroque certauit Henricus,ipſe quoque Carolus qui nunc Galliæ noſtræ ſceptra moderatur, quid de illis ſentirent,ſatis declaraſſe viderunt,dum illorum impiam religionem aſpernantur ac reſpuũt, dum ab Hiſpaniarum, Hungariæ, Angliæ potentiſſimis Regibus cũ ſua hæreſi, ſtatim in ipſius naſcẽtis exordio, vna ſententia ſe damnatos eſſe ſenſerunt;extremum illud ac ſacra anchora iſtis fuit,vt ad ſuum iudicium prouocarent.

Sed quoniam id cuiuſdam impudentiæ videbatur, non defuit, neque adhuc deeſt verecundis religioſiſq. hominibus honeſtus ille prætextus, vt ſe ad ſcripturam appellare dicant. Sed re vera ad ſeipſos appellant, cùm ſcripturam niſi in eo ſenſu, quem ei affinxerunt, non recipiant. Ita Lutherus doctrinæ ſuæ iudicem ſe negabat admittere, non hominem,non Angelum.

Quando hæretici ad ſeipſos appellare dicuntur.

Extremum igitur remedium ac ſacra iis anchora eſt, aut ad ſuum, aut ad populi ab ipſis circumuenti, aut certè ad eorum, qui Theologiam, in qua huius cauſſæ cardo vertitur,

titur, ne attigerunt quidem, iudicium prouocare. Quales ſunt adoleſcentuli, Rhetores, Poëtæ, Philoſophi; ex quibus vt ſuá cauſſam diſertiùs vberiuſque defenderent, quotcumque potuerunt in ſuam factionem pertraxerūnt. à quorum omniū iudicio, niſi pro ipſis ſententiam tulerint, appellare non dubitabunt, tantiſper dum eos paullatim in ſuam ſectam factionemque pellexerint. Quòd ſi hoc hominum genus in ſuam ſententiam perducere nequeunt (multi ſiquidem ex his Dei beneficio illorū inſidias effugerunt) non deeſt aduerſariis quod dicant, vt illorum iudicium ſubterfugiant. Hoc Ludouicus Vi-ues, Thomas Morus, Emſerus, Nicolius, Ochius, Cocleus, Pighius, Staphylus, Roffenſis, Clichtoueus, Franciſcus Balduinus, ac innumerabiles alij, qui iſtorum impia dogmata non modò non improbarunt, verum etiam editis libris execrati ſunt, ſæpe ſenſerunt. Quorum iudicium iſti quoque pertinaciſſimè reiecerunt. Nam, vt rem compendio exponam, nullum huius cauſſæ alium iudicem niſi laicum ac theologię ignarum, nullum laicum, niſi qui pro ipſis iudicet, aduerſarij admittunt. Quibus adoleſcentuli quidam, Oratores, Medici, Poëtæ minimè defuerunt; qui cùm iſtorum nouorum theologorum locos tantum communes legiſſent, theo-

Iudicem pro ſe dicentem hæretici quærunt.

theologiam repentè profeſſi ſunt; idque tanto cum faſtu, tantaque ſui fiducia, vt ſeſe non ſolùm omnibus antiquis, verũ etiam iis ipſis, à quibus inſtituti ſunt, anteponant. Apud Næuium percontanti, cedo qui veſtram rempublicam tantam amiſiſtis tam cito? reſpondetur, quia gubernatores noui ſtultique adoleſcentuli illam adminiſtrabant. Id generis homines ferè ſunt temerarij nouarumque rerum ſtudioſi. Quod cùm aduerſarij non ignorarent, nihil duxerunt antiquius, quàm huiuſcemodi hominum temeritati cauſſę ſuę inſtrumenta committere, non dubitantes quin à ſtulto iudice breui ſententiam reportarent. Eſt enim adoleſcentia rerum imperita, leuis, temeraria, nouarumque rerum ſtudioſa cum primis, ſenectus autem grauis, circũſpecta, matura. Ex quo intelligi poteſt, huiuſcemodi adoleſcentulis iudicibus talem materiam tantique ponderis cauſſam non debuiſſe committi. nam in tali negotio nihil facilè diuulgandum eſt aut publicãdum, niſi ab iis, quorum intereſt, ſummo conſilio iudicioque libratum. Nemo (vt ait Ariſtoteles) eligit iuuenes iudices aut duces, quia nõ conſtat eos eſſe prudẽtes. ſed omnibus cùm iuuenibus tum ſenibus in tanti momenti negotio Platonis conſilio, quod ille quondam in re multo leuiore Laconibus & Cretẽſibus

Cicero in Catone.

Adoleſcentia qualis ſit oſte aditur.

Lib. 3. Topic.

Lex præclariſſima pro iuuenibus præſcripta fuit.

dabat, obtemperandum fuit: Vobis quidem, ait, ſi rectè conſtitutæ ſunt leges, vna certè lex erit præclariſſima, quæ iubeat nequis iuuenum quærere audeat, recténe an contrà, ſe leges habeant, ſed vno omnium ore vnaque voce tamquam à Diis poſitas concedi præcipiat. nec vllo modo aliter pati quidquam á iuuenibus cogitari. Senem autem ſiquid excogitarit, principibus & æqualibus nemine iuuenum audiente referre. Ita diuinus ille philoſophus, ad cohibendam ac refrenandam iuuentutis temeritatem, quæ, cùm iis licet pro ſuo arbitrio & dicere & facere, Rempublicam frequenter euertunt, diuinitùs ſcripſit. Ex quibus intelligi poteſt, quanta legibus reuerentia debeatur, quanta ſit earum maieſtas & auctoritas, de quibus recténe, an contrà ſe habeant, iuuenibus quærere non permittit, ſenes principibus referant, ſiquid in eas fortè deprehenderint, quorum auctoritate conſilioque ſi id quod illi excogitarunt æquitati conſentaneum eſt, lex ipſa aut mutetur, aut explicetur, aut abrogetur. Quòd ſi in legibus humanis ac ciuilibus conſeruandis tanta maturitas, prudentia, grauitas adhibenda eſt, quanta in diuina lege retinenda, qua hominum ſalus continetur, prudentia, quanta grauitas, quanta maturitas eſt neceſſaria, præſertim

In legibus maturitas, prudentia et grauitas deſiderantur.

ſertim cùm tanta ſit huius legis auctoritas vt obſeruata vitam, violata mortem adferat ſempiternam?

Quæ cùm ita ſint, iuuenes eoſque omnes, qui in theologiæ ſtudio minus elaborarunt, parumque verſati ſunt, quamuis ætate proceſſerint, aliiſque præclaris dotibus ornati eſſe videantur, tamen & à diſputando, & multò etiam magis ab interpretando iudicandoque de iis quæ ad diuinam legem ac Christianam fidem pertinent, abſtinere deberent. ſit tamen neſcio quomodo vel potius incommodo, vt nulli ſint promptiores, nulli audaciores ad litigandum ac iudicandum de quauis materia, quàm iuuenes, iis qui in eo argumẽto, de quo quæritur, minus operæ ſtudiique poſuerunt. Sed omnium pace dixerim, numquam certè adducar vt credam, quemquam tametſi optimo ingenio præditum, tametſi in cęteris artibus ac diſciplinis, vt in Grammaticis, Dialecticis, Rhetoricis, Medicina, Philoſophia, Iure ciuili, aliiſque id genus, aut in omnibus iſtis ſi mauis apprimè verſatum ad theologicas controuerſias diiudicandas aptum eſſe. immo verò eum ad hoc ineptiorẽ exiſtimo quàm theologum ſimplicem, vt de controuerſiis, quæ in illis artibus ac diſciplinis exoriri ſolent, diiudicet, propterea quòd ſola theologia ceteris

Iuuenes omnibus aliis audaciores ad iudicandum de quacũque materia ſunt.

artibus ſimul iunctis in vnumq. coëuntibus, difficilior eſt atque ſublimior. Neque tamen inficior hominem in iis diſciplinis diu multumque verſatum, ad theologiæ ſtudium eſſe aptiſſimum maximeque idoneum, modò diſcentem ſe eſſe meminerit, nec celerius quàm par eſt, ſe magiſtrum eſſe opinetur; caueatque illud in primis, ne in ferenda de theologiæ quæſtionibus ac difficultatibus ſententia abſque magiſtrorum catholicorum eccleſiæ patrum conſilio præceps ſit, donec in ea arte ſatis elaborauerit atque profecerit: nihil enim hic iudicandi temeritate perniciofius, quæ & iuuentuti tam familiaris eſt, vt propè naturalis eſſe videatur, & in omnibus diſciplinis maximam opinionum & errorum confuſionem parere conſueuit, maximè vbi obſtinationi animi pertinaciæque cõiuncta, de ſua eruditione atque doctrina falſò ſibi ipſi magna promittit.

Theologia ſublimior eſt omnibus ſcientiis.

Qui faſtus, ſuique fiducia ex humanis ſcientiis ac diſciplinis ferè naſci ſolet, de quibus Apoſtolus ait: Scientia inflat, charitas autem ædificat. Scientia igitur, niſi charitate temperetur, hominem typho vanitatis inflans, in faſtum ac ſuperbiam erigit & extollit; idque agit, vt cuius pectus inſederit, id ſe multa exiſtimet ſcire, quæ neſcit. Quo animi morbo qui laborant, ad theologiæ ſtudiũ

1. Cor. 8.

incpti

inepti ſunt. de iis enim in Euangelio Dominus loquebatur dicens: Confiteor tibi pater, quòd doctrinæ meæ arcana myſteria abſcondiſti à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, id eſt, humilibus qui imbecillitatis ac exiguitatis ſuæ conſcij, ſeſe vltra ſtaturæ ſuæ modū nō erigunt. Nullum eſt enim errori pabulū animo humanarū diſciplinarū ſcientia inflato tumidoque iucundius. quod ſi ſuperior non ſenſit ætas, hoc noſtro ſæculo non ſolum in theologia, ſed etiam in aliis facultatibus plus ſatis experti ſumus. quas omnes ſcioli quidam ſe nactos arbitrātur, cùm in humanioribus litteris aliquantulum promouerunt, ex quibus tantos ſpiritus repentè concipiunt, vt de omnibus argumentis ac controuerſiis aliarum diſciplinarum, quas illi ne attigerunt quidem, non minore fiducia, non alio vultu ac fronte, quàm peritiſſimi magiſtri ſolent diſſerere, ſcribere, iudicare audeant.

Matth. 11.

Diuina myſteria quibus abſcōduntur, & quibus reuelantur.

Audiui quendam [redacted], omnium liberalium diſciplinarum noſtra memoria peritiſſimum, cùm ad iuris prudentiæ ſtudium ſe Tholoſam contuliſſet, paucis pòſt diebus eam facultatem, cui operam dare cœperat, publicè profeſſum eſſe. Magna omnium exſpectatio. Sed quorſum euaſit? imperitus magiſter ab omnibus ſcholaribus

[redacted] ſuarum virium imbecillitatē probauit.

 audito-

auditoribuſque ſuis rideri cœpit. Quod cùm ille ſenſiſſet, ac intra paucos dies ſuarum virium imbecillitatem probaſſet, ſeſe minus idoneum, qui iuris prudentiam, quam nondum ſatis didicerat, doceret, eſſe profeſſus eſt. Ita litterarum ſcientia inſtructus, niſi animũ moderatione coërceat ac refrenet, quo minus in ceteris artibus diſciplinîſque verſatus eſt, eo ſe peritiorẽ ac doctiorẽ arbitratur. cõtrà quãto diligẽtiùs ac diutius iis operã dedit, tanto magis quid ſibi deſit agnoſcit. Idcircò de eo, qui poſtquã humaniores (quas vocãt) litteras imbibit, tum ad iuris ciuilis ſtudium ſeſe confert, dici ſolet, quòd primo anno ſe doctorem exiſtimat, ſecundo baccalaureum, tertio incipit, quarto ſe nihil eſſe arbitratur. quanto enim plus operæ diligentiæque in eo ſtudio ponitur, tanto diſcens, & quàm parum in ea arte profecerit, & quàm multa ſibi diſcenda reſtent, vt abſolutus magiſter euadat, clariùs perſpicit. Ita paulatim eo animi tumore compreſſo, remotaque vanæ opinionis caligine, homo ſe ipſum videt & agnoſcit, ac ſuam priſtinam vanitatem irridet, quæ cùm illius pectus occupauerat, ſe longè doctiorẽ eſſe arbitrabatur, quàm nunc, cũ multum in ea arte profecit, ſe eſſe iudicat.

In litteris diutius verſatus magis agnoſcit quid ſibi deſit.

Idem iis accidit, qui poſtquã illas litteras imbiberunt, pari vanitate tumentes, in theologiæ

logiæ adytum impudenter irrumpunt. qui primo ſtatim anno, ab ipſius ſtudij initio, non modò ſeſe magiſtros ac doctores exiſtimant, verumetiam alios, qui in eo ſtudio diu multumque verſati ſunt, quorum ipſi non merentur eſſe diſcipuli, aſpernantur atque contemnunt. Qui ſi in hoc animi tumore, ſuiq́. obliuione, inquam, per arrogantiam ac vanitatem inciderunt, diutius perſeuerẽt, vereor ne in mille errores paullatim delabãtur, propterea quòd quaſcumq. opiniones, quæ veri ſimilitudinẽ præ ſe ferentes, eorũ animis primùm occurrunt, temerè amplectuntur ac probant. & quoniam ſe ſuaſque opiniones magni faciunt, eas tam pertinaciter amant, tam obſtinatè defendunt, vt, niſi ſingulari Dei beneficio, ab huiuſcemodi erroribus ad veritatis lucem animique ſanitatem reuocari non poſſe videantur. Tumor enim animi gliſcens in dies ſingulos non ſinit illos cernere veritatem, quam à ſe vanitas ei inimica repellit ac reiicit. Ad hæc iſti. ſuas opiniones, quas pro veritate complexi ſunt, tanti faciũt, tam ſtudioſè diligunt ac colunt, vt eos, qui ſibi contradicunt ac veritatis lumen oſtendere cupiunt, nõ modò audire nolint, verùm etiam incredibili odio perſequantur. Quanti igitur ipſi ſe æſtimant, tanti ab aliis etiam omnibus æſtimari volunt. Et quoniam opi-

Tumor in hæreticis creſcẽs, non ſinit eos veritatẽ cernere.

niones ab iſtis temerè electas quidam ita amplecti nolunt, vt omnes alias abiiciant, eorumque iudicium tamquam Apollinis oraculum ſequantur, iis ſuccenſent, eos lacerát, deteſtantur, oderunt.

Inter hæreticos magna errorum diuerſitas confuſióque inuenitur.

Quæ cùm ita ſint, minimè mirum eſt ſi illi abſq. vllis retinaculis ſubinde in alios atq. alios delabãtur errores, tantaq. ſit inter eos opinionũ varietas, tanta confuſio, vt neq. in Ægypto, neque in Babylone par ac ſimilis vmquam eſſe potuerit. nam inter ſexcentos ex iſtis vix duos reperias, qui ſibi in eadem fidei opinione conſentiant. Quod enim hic probat, ille improbat; quod huic placet, iſti diſplicet. Si hic alium quempiá ex ſymmyſtis ſuam opinionem proferentem audiuit, aliam nouam illique contrariam ſtatim fabricabit; ne fortè ſi idem quod ille, alius diceret, indoctior videretur; ſi nihil noui adferret, idiota exiſtimaretur. Ita in Chriſtiana religione in dies naſcitur tanta confuſio, vt ipſe Satanas nihil ad euertendam religionem aptius, nihil ſubtilius excogitare potuiſſet, quàm hoc quod iam agi videmus. Non eſt mihi dubiũ, quin iſti homines, qui de aliarum diſciplinarum ſcientia gloriantur, quod hic dicimus moleſtè ferant. Quid? inquient: An omnis doctrina eſt penes talem? ergóne ceteri nihil vident? Itáne verò? nobis iſti interdicent, ne

ſacris

ſacris litteris, quibus ſalus cōſtat, operam demus? nónne omnes de ſalute animæ ſuæ debent eſſe ſolliciti? an Euangelium iſte ſolus intelligit? nos quoque illud intelligimus, nos ſcimus quid nobis facto opus ſit, non minus quàm ille. Quibus reſpondeo, ab iiſque peto, vt me & excuſatum habeant, & verum quod mihi perſpectum exploratumq́ue eſt, dicere ſinant. Quamquam enim iſti per omnia ſacra millies deierarent, non poſſum tamen adduci vt credam hominem alterius profeſſionis tam benè intelligere Euangeliū, non dico quàm me, ſed quàm bonū aliquem theologum. Vt enim medicinam nemo melius callet quàm medicus, iuriſprudentiam nemo melius quàm iuriſconſultus intelligit; ita theologiæ nemo alterius profeſſionis peritior, nemo æquè peritus ac theologus. Me verò cum iis conferre nolo, turpe ſiquidem id mihi eſſet, vt illud omittam, comparationes odioſas eſſe. Quòd autem iſti dicunt, nos illis interdicere ne ſacras ſcripturas legant, theologiæq. dent operam; falſum eſt id quidem. neque enim id nobis propoſitum eſt, atque vtinam omnes prophetarent. Sed mouet me magnoq́ue dolore diſcruciat pereuntium multitudo; horum profectò me miſeret, horum gratia hoc munus aggreſſus ſum, hunc laborem ſuſcepi, vt errorum, quibus

Theologus melius quàm quiuis alterius profeſſionis Euangelium intelliget.

Simile.

implicati tenentur, malorumque communium fontem oſtenderem, ex quo tantarum calamitatum exundans flumen manat & profluit.

Quid eſt igitur caput horum & cauſſa malorum? Non theologiæ ſtudium, non diuinarum litterarum lectio, ſed eorum cæca temeritas. qui cùm theologiæ perexiguam nauauerint operam, ſtudiumque ſuum in alia qualibet arte ac diſciplina potiſſimũ collocent; in rebus tamen Chriſtianæ religionis ac fidei iudicum partes ſibi ſumunt, vindicant, arrogant. Quemadmodum iſti facere ſolent, qui cùm vnum aut alterum menſem hæreticorum libros legerint, repentè doctores facti, fidem ac theologiam veterum, quam nó modò non intelligebāt, ſed ne attigerant quidẽ, cæca & improuida temeritate condemnant. Dico igitur hanc audaciam, hanc ſuperbiam, hanc arrogantiam, hunc animi tumorem, præcipuàm eſſe cauſſam, quæ fidei Chriſtianæ perniciem, exitium, ruinam adferat. Quod noſtro ſæculo cœptum, longiùs ſerpere videmus, niſi iſtorum immanis refrenetur audacia; idq. agatur, vt & iſti ſeſe agnoſcant, & cauſſarum eccleſiaſticarum cognitionem ac iudicium iis permittant, quibus defertur iure diuino. En ipſa veritatis ratio, quæ cùm à me dicta ſit, mihi ignoſcant. Neque enim adferri

Theologiæ ſtudium non eſt malorũ cauſſa.

Hæreticorum ſuperbia & audacia fidei Chriſtianæ perniciẽ præcipuè adfert.

adferri poteſt alia cauſſa, cur inter ſæculi noſtri Poëtas, Philoſophos, Oratores, Medicos, tanta pugnantium opinionum varietas deprehendatur, niſi hæc ſola, quòd ex iis plerique, tametſi aliis doctiores, ſuam tamen conditionem non agnoſcunt, neque intelligunt quouſque progredi debeant. alij verò inepta vanitate tumentes, ac ſui obliti, lineas tranſiliunt, & quod illis non debetur, aſſumunt.

Sed (vt vnde digreſſa eſt eò reuertatur oratio) aduerſarij cùm minimè dubitarent, ſi id genus homines vani ac tumidi de controuerſia quam contra fidem noſtram iſti excogitauerant, iudicarent, fore vt hac ratione ciuitatis Dei, id eſt, Eccleſiæ validiſſimo muro haud parum labefactato, in eam facilè irrumperent, omniaque rapinis, ſacrilegiis, cædibus ruiniſq́. fœdarent. Hoc in primis ſummo ſtudio diligentiaque curarunt, vt iuuentutem artium liberalium, vel illiberalium cogitatione ſuperbam ac tumidam ad librorum ſuorum lectionem allicerent, eique vt ſuas contra noſtram fidem diſputationes libenter audiret perſuaderent: quò faciliùs cæca iuuentutis ingenia, antequam ipſius fidei intelligerent veritatem atque rationem, in hæreticos inducerentur errores. Neque enim veritas ita facilè percipi poteſt, faciliùs omnino ac iucundiùs imbibuntur errores, ad

Iuuenes in errores hæretici quomodo inducebant.

quos

quos naturæ vitio, quàm ad veritatem aut ad virtutem procliuiores ſumus. Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. proinde errores ac vitia ſine magiſtro ac ſine vllo labore diſcuntur. Veritas autem ac virtus ſine magiſtro ac difficultate percipi non poteſt..

Geneſ. 8.

Quod cùm aduerſarij non ignorarent, id egerunt vt in omnibus Academiis aut ſcholis, cùm bonarum (quas vocant) litterarum, tum etiam iuriſprudentiæ & medicinæ non ſolum profeſſoribus, verum etiam ſcholaribus cauſſæ ſuæ cognitionem iudiciumque committerent, vt hac in re ea in errorē propenſione, quæ familiaris eſt omnibus, freti, teneris adoleſcentum ingeniis ſuas opiniones & errores eloquentiæ pompa exornatos, ac veriſimilitudine excultos infunderēt; atq. ita veritatis locum mendacia occuparent, atque præriperent: quæ cùm poſtrema ſequeretur, locum in quo pedem poneret, non haberet, ſed tamquam publicæ ſalutis inimica ab illis temerè & improuidè reiiceretur. Eadem calliditate iuniores huius regni principes capere conati, ad eos quoque huius cauſſæ iudicium detulerunt, rogantes eos, vt ſua æquitate perſpecta, de ſumma rei ſententiam ferrent. Qui tametſi diuinarum litterarum imperiti, lectis tamen aduerſariorum libris,

Hæretici, qua calliditate & aſtutia vſi ſunt, vt ſcientiarū profeſſores & ſcholares in errores inducant.

Hæretici quomodo plures nobiles decipere potuerūt.

quos

quos illi & orationis nitore pompaque verborum inſtruxerant, & foris etiam auri fulgore colorumque apta varietate diſtinxerant, vt ad eos inſpiciendos ac legendos externa quoque ſpecies curioſam alliceret iuuentutem, vt ſic hæreticæ prauitatis error & anguis ſub viridi herba melius latere poſſet. Lectis igitur aduerſariorum libris, & huius ſerpentis latentis veneno infecti plerique nobilium, fide ac religione maiorum temerè damnata, nouas iſtorum opiniones amplexi ſunt.

Eſt enim propria iuuentuti curioſitas, eiq. coniuncta temeritas: ſenectuti autem ſapientia plena conſtantiæ. Quod cùm iſti non ignorarent, iiſdem artibus ac dolis regẽ quoque noſtrum tum adoleſcẽtem (quem Deus optimus maximus ſua benignitate cuſtodiat, eique maiorum ſuorum Chriſtianiſſimorum Galliæ regum, quemadmodum præclarè cœpit, veſtigiis inſiſtenti prolixam incolumitatem ac ſalutem diuino fauore concedat) iſta portenta capere conati ſunt. quod vt perficere poſſent, miſerabili adhibita oratione ei ſupplices facti ſunt, vt de illorum cauſſa cognoſcere dignaretur, hac ratione ætatem illam doli neſciam circumuenire, atque in ſectæ ſuæ naſſam impellere molientes. Sed adoleſcenti regi (quem Deus optim. maxim. non ſolùm ſapientiſſimorum virorũ conſilio

Galliæ regem hæretici qualiter decipere conati ſunt.

ſepſit,

ſepſit, verùm etiam occulto gratiæ diuinæ beneficio rectum iter ſalutis ac vitæ deſerere paſſus non eſt) temeritas defuit. Ita illi veteratores & callidi, nec illum ſuis artibus capere, nec quidquam adhuc promouere potuerunt. Quod ſi ab iis factum eſſet, quantum Galliæ malum, quanta calamitas accidiſſet; ſi Chriſtianiſſimum Franciæ populum ad regis adoleſcentis nutum fidem ac religionem retexere oportuiſſet? Sed quis aduerſariorum ſapientiam non miretur, qui eius ætatis regẽ de tam ſublimi diuinaque materia iudicare poſſe exiſtimauerunt, ad quam definiendam omnia œcumenica concilia, omnes Patres atque Doctores, tam antiquos quàm neotericos, tamquam minus idoneos repudiarunt? Attamen iſti ſuauiſſimi homines adoleſcenti regi perſuadere cupiebant, ad eam controuerſiam iudicandã, de qua nullum cõcilium, nullus maiorum ſatis idoneè (vt ipſi dicere ſolent) pronunciare potuit, illum, qui in hac paleſtra parum exercitatus eſſet, ad eã rem ſatis idoneum eſſe. Et ſanè ſi pro iis iudicare voluiſſet, eum pro vero ac legitimo illius cauſſæ iudice libenter recepiſſent, eiuſque ſententiam, tamquam oraculum aliquod diuinitùs allatum, amplexi fuiſſent. Sed quid? Iſti veteratores & callidi adoleſcentulo regi noſtro non modò cupiebant, ſed etiam

Sapiẽtia hæreticorum irridetur.

Hæretici confunduntur, eo quòd circa fidei materiã regis adoleſcẽtis iudiciũ, tamquam oraculum ſi pro illis illud proferret, recepiſſent.

ſperabant

ſperabant perſuadere, illum eſſe tantũ theologum, vt de tali cauſſa ſine vllo errore ſententiam ferre poſſet, in qua omnes Chriſtianiſſimos Galliæ reges, illiuſque maiores ab hinc decem aut duodecim ſæculis, ex quo tẽpore fides ab iis ſuſcepta in Gallia coaluit, erraſſe dicebant, vt ſi hanc cenſoriam virgulam ac iudicandi auctoritatem ille ſumpſiſſet, ad eum decipiendum viam ſibi hac ratione munirent. Quod ſi effeciſſent, ſi eorum conſilia rex ſecutus fuiſſet, ſi eorum verbis fidem habuiſſet, quantis (oro) regem adoleſcentem totius poſteritatis omniumque qui nunc ſunt Chriſtianorum ſannis, ſcommatis atque ludibriis expoſuiſſent? Erat ſanè præclarum, tot Chriſtianiſſimorum ac fortiſſimorum Galliæ regum præiudicium vnius adoleſcentuli regis ſentẽtia retractari, immo damnari, illum regem adeò fortem, adeò Chriſtianum, adeò diſciplinis omnibus excultum & ornatum Carolum Magnum, illum regem ita ſanctum ac doctum Ludouicum, illum litterarum muſarumque parentem, ac ſapientiſſimum Franciſcum, huius nominis primum, tot alios reges, in quibus eruditio cum virtute certauit, in noſtra fide comprobanda falſam tuliſſe ſententiã; quam non ſolùm ad mortem vſque conſtantiſſimè retinuerunt, verumetiam pro ea defendẽdã fortunas

Vnius adoleſcentuli regis ſentẽtia hæretici Chriſtianiſſimos Galliæ reges dãnare intendebant.

fortunas omnes, ipſumque ſanguinem fortiſſimè obtulerunt. in qua fide diiudicanda regem adoleſcentulum iſti errare poſſe negabant. O admirabilem iſtarum opinionum ineptiam, abſurditatẽ, inſaniam, vanitatem!

Hæreticorum paradoxa.

Quis huiuſcemodi paradoxa vmquam audiuit? qui malum aut imperitum iudicem quærit, is ſe cauſſæ ſuæ æquitati diffidere oſtendit. Neque tamen regem noſtrum pro illa ætate, prudentia ſingulari iudicioq. peracri diuinitùs exornatum fuiſſe negauerim, ſed qui de tanta cauſſa iudicaret ſatis idoneus non erat. Quod in eam partem accipi velim, vt ex iis, quæ à me dicta ſunt, aduerſariorum verſuta malitia ac calliditas perſpici poſſit. Neque enim ſupplicem illum libellum, quo à rege audientiam poſtulabãt, ſe eius iudicio ſubmittentes, eo animo fecerant, quòd regis imperio parere vellent, eiuſque ſententiam amplecti, niſi fortè pro ipſis ille iudicaſſet: ſed hæc ſolum tum ab iis agebantur, vt tenerum adoleſcentuli regis animum, ſi nihil amplius poſſent, certè nouorum illorum dogmatum, opinionumque ſuarum cõfuſione turbarent.

Hæretici tenerum regis adoleſcentuli animum turbare conabãtur.

Nam ſi cauſſam iſtam regia auctoritate ſententiaque terminari re vera ex animoque voluiſſent, cùm tot Galliæ reges ab hinc multis non ſolùm annis, verum etiam ſæculis noſtram fidem ſuis ſententiis comprobarint,

illorum

illorum autem perfidiam repudiauerint atque dãnauerint,quid iam opus eſſet verbis?

Sed quid illa lenitate verborum aduerſarij ſibi vellent,rerum exitus docuit;nimirum,vt hoc ſubmiſſionis obedientiæque prætextu conſiliorum ſuorum machinamenta celarẽt: nam ſi regio iudicio contenti erant, cur regum, qui adoleſcentem hunc regem præceſſerant,tot edicta calcabant,quę illi in eos qui huiuſcemodi tuerentur errores, meritò ſanxerant? Quid enim rex ille Franciſcus? quid eius filius rex Henricus? quid alter Franciſcus rex? nónne iſtos tamquã hæreticos cum eorum doctrinæ impietatẽ damnarunt? Si igitur vt dicũt ita etiam ſentiunt, regis officium eſſe de cauſſa fidei iudicare; cur tot regum edicta ſententiaſque contemnunt? cur eam religionem ac fidem repudiant, quam rex adhuc probat ac colit? quid hoc aliud eſt,niſi id quod antè dicebam, iſtis nullum placere iudicem, niſi pro iis ſententiam ferat? Sed quæ (malum) eſt iſta dementia, exiſtimare mundum ſemper in tantis tenebris tantaque cęcitate manſurum,vt illorum dolos videre non poſſit? quid autem ſibi volebant illæ preces ſuppliceſque libelli, cùm illis certum fixumque propoſitum eſſet,regis ſententiæ nullo modo cedere, nulla ratione obtemperare? nam ſi regem quemadmodũ

Hæreticorum verba in ipſos retorquentur.

Contra hæreticos efficax argumentum ex eorum petitione procedens.

poſtulabant, iudicem eſſe voluiſſent, in illo ſupplici libello illud profectò adieciſſent, ſe ab eius ſententia, quæcumque tandem illa eſſet, minimè prouocaturos, ſed totam controuerſiam illius iudicio terminaturos. Alioqui quid opus erat regi totique aulæ tantum laboris ac moleſtię adferre, cùm ipſis cõſtitutum eſſet ac certum, regis ſentẽtiæ non aliter cedere, niſi pro illis iudicauiſſet? nam (vt pòſt declarauit euentus) illis propoſitum erat, tametſi multa pollicebantur, regis iudicium reiicere, niſi pro illis pronunciaſſet.

Quid igitur ſibi volebant illæ preces? cur regi ſupplices erant? certè vt hoc modo periculum facerent, an tenerum regis animum mouere, eiuſque religionem ac fidem ſuis blaſphemiis, & illo verborum lenocinio ac fuco concutere poſſent: eumque ad extremum in ſuorum errorum voraginem præcipitare. nam experientia rerum magiſtra euidentiſſimè oſtendit, illos nihil minus velle, quàm vt eius controuerſiæ fluctus regia auctoritate componerentur. Vnde perſpicuum eſt, iſtos nullum huius cauſſæ iudicem admiſſuros, niſi eum qui pro ipſis ſententiam ferret. eum autem quicumque tandem ille ſit, pro vero ac legitimo recipient. Quorſum enim pertineret alioqui tanta iudicum reiectio, & tam crebra mutatio, niſi ad explorandum,

Experientia quid hæretici intenderent docuit.

dum,an tandem aliquando regem aliquem inuenire contingeret,qui ab illis circumuentus ac deceptus, nouam illorum (vt ipſi loquuntur) religionem ſuo calculo comprobaret? Sed regem noſtrum Chriſtianiſſimum nobis diuina beneficentia adeò illæſum ſanumque ſeruauit, vt illi hoc in primis conſtitutum ſit maiorum ſuorum fortiſſimorum ac Chriſtianiſſimorum Galliæ regum veſtigiis inſiſtere. Neque ſanè quiſquam Galliæ rex coram Deo excuſari poſſet, ſi fortè maiorum ſuorum religionem fidemque deſereret. His enim regibus ad illorum fidei confirmationem ſingulari beneficio tantum gratiæ diuinitas largita eſt, vt cæleſti virtute ac miraculo, per manuum impoſitionem ægros curent, quod iuxta Chriſti promiſſionem ex eorum ſignorum genere eſt quæ fidei veritatem ſequi ac probare debeant, nec minore beneficio regem noſtrum adoleſcentem, ne tot aduerſariorum inſidiis, fraudibus, dolis, quibus illum irretire conati ſunt, caperetur Deus ſeruauit.

Galliæ reges per manuum impoſitionem ægros curant.

Marc. 16.

Quæ cùm ita ſint, quid iis iam illa exſpectatione fruſtratis reliquum erat, niſi vt tot regum edictis atque ſententiis humiliter obtemperarent; depoſitaque pertinacia, cum toto orbe Chriſtiano, à quo tam temerè ac improuidè, ne dicam impiè, ſe antè diſiunxerant,

rant, ſeſe denuo coniungerent? num igitur ita ſibi faciendum putarunt? minimè verò. Immo cùm regem in ſuam factionem pellici non poſſe animaduerterent, operam dederunt, vt ille cogeretur iis plures è populo decipiendi, in ſuaſque partes illiciendi poteſtatem facere. Cùm enim primis illis conatibus, quibus totum Galliæ regnum vi & armis in ſuam factionem cogere nitebantur, optatum defuiſſe ſucceſſum intelligerent, propterea quòd pauciores opinione deceperant, neque tantum hominum numerum, quàm ad exſecutionem conſiliorum ſuorum opus erat, in factionem ſuam adhuc traxerant, cedendum nonnihil, quemadmodum exiſtimare meritò poſſumus, ſibi duxerunt; vti poſtea ſecuros & imparatos adorſi, certiorem plagam infligerent. Sed, antequam arma corriperent, à rege, regioque conſilio facultatem decipiendi, in ſuamque factionem illiciendi regis ſubditos extorſerunt; vt quemadmodũ haud iniuria ſuſpicamur, cùm tantam populi multitudinem, quantam ad legem ſuam, quam ratione aut ſcripturæ auctoritate non poterant, vi & armis propagandam, immo repugnantium ceruicibus imponendam eſſe neceſſariam arbitrabantur, in ſua caſtra traxiſſent; tum demum impia arma rurſus induerent, bellumque renouarent, ac totum

Hæretici aliud nouæ calliditatis & aſtutiæ genus excogitarunt.

Galliæ

Galliæ regnum pro lege Chriſti,leges eorum ac hæreſes recipere cogerent.

Sed nullum ex principibus aut ex nobilitate, vt carnifices eorum eſſe ſuſtineant, ab iſtis deinceps falli poſſe confido. nam ſuo malo quale hoc prophetarum genus ſit, iam profectò didicerunt. Nec tamen iſti ſcribendis libris contra leges ac regis edictum,boniſque lacerandis, vbicumq. fuerint, abſtinent; vt hac via populum,quem imperitum ac minus idoneum eſſe nouerunt, ad cognoſcendum ac iudicandum de ſua cauſſa alliciant, atque ita valeant circumuenire quàm plurimos.Et ne illorũ ſcelerata conſilia diſturbentur,theologos aut œcumenica cõcilia in huius theologicæ rei cauſſa iudices nullo modo recipiendos putãt; in qua tamen mulierculas ſuas alioſque idiotas,& quoſuis non theologos libenter admittunt. quorum quia nullũ aut certè debile admodum eſt iudicium, ea re & pro iſtis iudicant, & ſubinde in varios labuntur errores.

Concilia œcumenica & theologos in fidei cauſſis hæretici reſpuunt, & idiotas admittunt.

Et ſanè niſi aduerſarij popularium animos in tantam arrogantiam, faſtum ac ſui obliuionem præcipitaſſent; iam dudum iſtarum ſeditionum ac tempeſtatum, quibus Gallia adhuc fluctuat, finem haberemus. Qui fluctus ab iſtis toto Chriſtiano orbe excitati, antè componi non poſſunt, quàm populus in

viam redeat, ſeſeque cognoſcat, ac ingenij ſui vires menſuramque intelligens, ſe, qui de hac cauſſa iudicet, minus idoneum eſſe ſentiat. Nihil enim pernicioſius, nihil incurabilius eo homine, qui cùm ægrotet, ſe ægrotare non credit. ad hæc nihil intractabilius ſtulto, qui ſe ſapientem exiſtimat. Vt enim ait Sapiens: Expedit magis vrſæ occurrere raptis fetibus, quàm fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua. Ergo niſi hominibus illud ante omnia perſuaſum fuerit, neminé inter theologos, niſi theologiæ peritiſſimum, iudicare debere, fieri non poteſt, vt ſuis liberentur erroribus, atque in viam ſalutis ac vitæ, quam ſtultè deſeruerunt, aliquando redeant. Quemadmodum enim viator aliquis in aliena regione iter faciens, ſi ſe viam noſſe arbitratus, ſemel aberrauerit, numquam in viam regredi poteſt, niſi ſuum agnoſcat errorem; in quo ſi obſtinato animo perſeuerauerit, quanto magis procedet, tanto à recta via longiùs aberrabit: ita huic populo, qui temerè aduerſariis credidit, ſe per ſcripturæ ſacræ campos, & ſaltuum anguſtias viam noſſe nihilominus, quàm eos, qui hanc ſub optimis ac peritiſſimis præceptoribus magno ſtudio, diligentia, labore didicerant, vſu venit. nam à recto itinere ſemel aberrans, in viam regiam ſalutis ac vitæ, quam ſui maiores conſtantiſſimè tenuerunt,

Simile.

Prouerb. 17.

Simile.

nuerunt, regredi neque vult, neque ante poteſt quàm agnito errore, ſibi, quòd viam noſſet, falſò perſuaſum fuiſſe intelligat. Sed cùm ſe viam melius quàm omnes maiores ſuos noſſe exiſtimet, noua ſubinde itinera ſibi finget, quę illum in maiorem errorem adducēt, donec à regia via tam longè diſceſſerit, vt de eius reditu ſpes nulla ſupereſſe videatur. *Hæretici noua ſibi itinera fingunt quæ ipſos in præcipitium ducunt.*

Apollinis oraculum γνῶθι σεαυτὸν, id eſt noſſe teipſum, Græcia iure miratur, quod tamquam ſaluberrimū humano generi præceptum Delphici templi veſtibulo inſcribēdum putauit antiquitas. Quo monemur, neque vltra vires eſſe conandum, neque honeſta, quæ virium noſtrarum mediocritatem non excedunt, prætermittenda. Sed illud in primis præcipitur, vt humani ingenij ſpirituſque arrogantia reprimatur atque frangatur. Omnis enim humanæ vitæ peſtis ac certa pernicies eſt ignoratio ſui: philoſophiæ autem ac ſapientiæ prima pars eſt, noſſe ſeipſum. Quod Demonax quoque philoſophus eleganter expoſuit; à quo cùm quæreretur, quādo ſapere cœpiſſet: Cū, inquit, meipſum noſſe cœpi. Nullum ſcilicet qui ſe ipſe non noſſet, putabat habendum eſſe ſapientem. Vnde etiam Socrates, tametſi dicere ſolitus, hoc ſcio quod neſcio, Apollinis oraculo ſapientiſſimus iudicatus eſt. Quæ verba in eius *Philoſophiæ prima pars eſt noſſe ſeipſum.* *Demonax.* *Socrates.*

apologia ita explicantur: Omnes illius ætatis philoſophi, cùm ab iis quæreretur, num hæc & illa ſcirent, reſpondere ſoliti erant, ſe omnia ſcire; adeò vt Gorgias quidam ſumma de ſe fiducia in cõuentu poſcere, qua de re quiſque audire vellet, auſus ſit. illi tamen, vt dicebat Socrates, omnes imperiti erant, neque omnia, de quibus gloriabantur, ſciebant. Ego verò, inquit, non magis omnia noui, quàm illi. Quare non video cur illis anteponi debeam, niſi quòd imperitiam meam agnoſco, illi enim cùm nihil ſciant, hoc ipſum tamen neſciunt, cùm ſe omnia ſcire arbitrentur: ego verò cùm nihilo plus ſciam quàm illi, hoc ipſo eos ſupero, quòd ignorãtiam meam ipſe cognoſco. Ita Apollo hac ſola ex cauſſa Socratem omnium, qui ſe ſapientes arbitrabantur, ſapientiſſimum iudicauit. qui ſi hodie viueret, quid de ſæculi noſtri ſciolis diceret, quo tanta ſui pleriſque obrepſit obliuio, vt ſe omnia ſcire exiſtiment? nec id in qualibet arte ac diſciplina, ſed in omni excellentiſſima ac difficillima theologia, diuinæque ſcripturæ peritia, quam omnes etiam imperitiſſimi ſibi arrogant & aſſumunt. Vnde eſt illud Diui Hieronymi: Quod medicorum eſt, promittunt medici; tractant fabrilia fabri. Sola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vindicant. Scribimus indocti, doctique poëmata

Gorgias philoſophus.

Socrates quia ſe nihil ſcire confeſſus eſt, ſapiẽtiſſimus iudicatus eſt.

Epiſtol. ad Paulinum.

poëmata paſſim. Hanc garrula anus, hãc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant. Alij adducto ſupercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de ſacris litteris philoſophantur, alij diſcunt, pro pudor, à feminis quod viros doceant. Et ne parum hoc ſit, quadam facilitate verborũ, immo audacia ediſſerunt aliis, quod ipſi non intelligunt. Taceo de mei ſimilibus, qui ſi fortè ad ſcripturas ſacras, poſt ſæculares litteras venerint, & ſermone compoſito aures populi mulſerint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid prophetę, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuũ incõgrua aptãt teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam, ſcripturam trahere repugnantem. Et paullo inferiùs: Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores; immo, vt cum ſtomacho loquár, ne hoc quidem ſcire quod neſcias.

Hac oratione Hieronymus duo genera hominuin accuſãt, alterum eorum, qui cùm litteras ne attigerint quidem, interpretandis tamen ſcripturis ſacris magiſtrorum ſibi nomen aſſumunt; alterum autem eorum, quos animo tumere dicebam. ij ſunt qui littera- *Duo hominũ genera carpit diuus Hieronymus.*

rum ſcientia inflati, vbi ad ſcripturæ ſacræ ſtudia acceſſerint, abſoluti magiſtri repentè haberi volunt;cũ nullius vmquam pręceptoris diſcipuli fuerint. Qui cùm in ceteris artibus ac diſciplinis, vt in iure ciuili, medicina, aliiſque huiuſcemodi non audeant labra diuidere, niſi iis antea operam dederint,in hac tamen omnium excellentiſſima ac difficillima, in qua ſine certa animæ ſuæ pernicie errare nemo poteſt,non modò magiſtri,verùm etiam iudices haberi volunt, ac de omnibus controuerſiis, quæ inter huius diſciplinæ profeſſores doctoreſque vertuntur, ferre ſententiam. Hoc autem totius mali caput eſt,quòd huiuſcemodi homines tumidi ſeipſos videre ac noſſe non poſſunt, nec quàm ad iudicandum de tali materia ſint inepti, intelligunt. Ita iis vſu venit, quod olim cuidam mulierculæ (auctore Seneca) ſolebat accidere. Harpaſtẽ (inquit) vxoris meæ fatuam ſcis hereditarium onus in domo mea remanſiſſe. hæc fatua ſubitò deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem,ſed veram; neſcit eſſe ſe cæcã, ſubinde pędagogum ſuum rogat, vt migret: ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus, omnibus accidere liqueat tibi; nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt, nos ſine duce erramus, & dicimus; non ego ambitioſus

Totius iniquitatis caput in Gallia fuit, homines ſeipſos non noſſe.

Seneca.

tioſus ſum, ſed nemo aliter Romæ poteſt viuere. non ego ſumptuoſus,ſed vrbs ipſa magnas impenſas exigit. non eſt meum vitium quòd iracundus ſum, quòd nondum conſtitui certum genus vitæ: adoleſcentia hæc facit. Ita nemo vitium, quod in ipſius viſceribus ſedet, intelligit.

Idem iſtis tumidis & arrogantibus vſu venit. qui quàmquam theologiæ prorſus ignari ſunt, & tamquam cæci id ea arte quam minimè didicerant, ſuam tamen ignorantiam & cæcitatem non intelligunt, ſed domum Dei Eccleſiam Romanam tenebris errorum plenam eſſe contendunt, atque ideò ſe migrare velle prædicant, cùm ipſi tamen cæci ſint,ac errorum ignorantiæque tenebris inuoluti. Nam Dei domus Romana eccleſia diuinæ ſapientiæ lumine plena eſt & illuſtris, quæ (vt ait Ioannes) non eget ſole neque luna, vt luceant in ea. nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus, & ambulabunt gentes in lumine eius, & reges terræ adferent gloriam ſuam & honorem in illam. Non igitur domus Dei Eccleſia tenebroſa eſt,ſed iſti gloriæ cupiditate & animi tumore cæcati ſunt. Itaq. cum Seneca inferam: Difficulter ergo ad ſanitatē perueniunt, quia ſe ægrotare neſciunt. Chriſtum complures phreneticos, aliosq. ægros ſanaſſe legimus:

Apoc 21.

Stultos non legitur quòd Chriſtus ſanauerit. mus: ſtultos ſanaſſe non legimus. Quid ita? quia iuxta doctorum ſententiam illi ſuum morbum, ſuam ſtultitiam non intelligebant, immo verò ſe ſanos atque ſapientes eſſe credebãt: & vt nec Scribas nec Phariſæos ab eorum ſpirituali cæcitate ſanauit, quia ij ſe perſpicaciſſimos eſſe, veritatemque acutiſſimè cernere putantes, ſuum errorẽ ac cæcitatem
Ioan. 9. nõ videbãt. quibus dixit: Si cæci eſſetis, nõ haberetis peccatum: nunc verò dicitis, quia videmus; peccatum veſtrum manet. Ita paucos admodum hæreticos ſanat, paucos ex iis errorum ſuorum cæcitate liberat, quaſcumque preces ij faciant, quoſcumque pſalmos cantillent; quia neq. ſe in errore verſari ſciũt, neque ſcire volunt, ſed potius ſe & toti orbi præferunt, & reliquis omnibus ſapientiores eſſe arbitrantur.

Luc. 18. Ergo iſtis idem quod euangelico Phariſæo vſu venit, qui templum vt oraret ingreſſus, poſtquam ſeipſum, quòd reliquis hominibus iuſtior eſſet, vanè iactauit; peccatis inquinatus, ac turpior, quàm antè fuerat, domũ rediit: Publicanus autem peccato ſuo agnito,
Simile. iuſtificatus diſceſſit. Sic iſti Phariſæi ſeſe reliquis omnibus ſanctiores, integriores, iuſtiores, doctiores eſſe credentes, poſt illas ſuas preces cæci domũ redeunt; idiotæ verò ſimplices agnitam ſuam ignorãtiam ac indignitatem

tatem humiliter verecundeque confeſſi, ad percipiendum veritatis lumen Dei munere illuſtrantur. Et ſanè mundus ab iſta cæcitate, in quam ſeſe ab arrogantia & inani gloria præcipitari paſſus eſt, curari non poterit, antequam ſuam agnoſcat ignorantiam, ſuumque fateatur errorem.

Sed magnopere vereor ne huiuſcemodi hominibus tumidis & inflatis idem eueniat, quod olim Phariſęis ob illorum pertinaciam, animique præfractam obſtinationem, qua veritati repugnabant; nimirum vt à Deo reiecti atque deſerti, vidētes iam non videant, & audientes non audiant, neque corde intelligant veritatem, & ſanari ſalutemque aſſequi valeant. Vereor, inquam, ne clauſis oculis in æterni interitus barathrum ruant, niſi Dei beneficio ad meliora conuerſi, celeriter reſipiſcant: numquam tantus fatuorum ac indoctorum hominum, quantum nunc videmus, numerus fuit. Stultorum vbique plena ſunt omnia & tamen numquam plures fuerunt, quos ſui cœpiſſet obliuio, quique ſe omnium doctiſſimos arbitrarentur, quàm hoc tempore.

Luc. 8. Ioan. 12. Eſa. 6.

Olim diabolus in primis illis inſidiis, quas humano generi ſtruxit, nihil aliud niſi ſcientiæ diuinæ æqualitatem auſus eſt polliceri. nunc verò per ſuos Prophetas & Apoſtolos

Geneſ. 3.

longè

longè maiora promittit. nec enim ſolùm diuinæ ſcientiæ æqualitatem appetere ſuadet, verumetiam iſtis iam plenè perſuaſit, quòd eam conſecuti ſunt. Quod ex iſtorum oratione planum faciam. Quid enim aliud eſt non credere Dei verbo, niſi cùm id quod ex ipſo Dei verbo factum eſſe didiceris, tum demum credere, cùm qua ratione effici potuerit comprehendas? quid hoc inquam aliud eſt, niſi diuinæ ſcientiæ ſibi æqualitaté vindicare? quod hoc exemplo manifeſtum euadet; quoniam Chriſtus ait: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus. &c: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Maiores noſtri verbo Dei ſimplici ſinceritate fidem habentes, in Euchariſtiæ ſacramento corpus & ſanguinem Chriſti verè ac realiter (vt loquuntur) eſſe credebant; quemadmodum ipſa verba ſignificát. Aduerſarij autem illorum Eccleſiæque fidem ſe ſatis confutaſſe exiſtimant, ſi illud ſuum (quomodo) apponant: nec antè Dei verbo fidem habédam putant, quàm iis diuinæ potentiæ, quæ ad id efficiendum, quod Dei verbum clariſſimè factum eſſe prædicat, neceſſaria eſt, ratio explicetur. Qua in re nónne cuiuis homini ratione prædito ſe diuinæ ſciétiæ æqualitatem conſecutos eſſe denunciant? quod enim dicunt, quid aliud eſt, quàm ſi ita dicerent: Qui fieri

Margin notes: Dei verbo nō credere quid ſit. — Math. 26. — Luc. 22. — Marc. 14. — Ioan. 6. — 1. Cor. 11.

fieri poſſit, vt Deus carnem ſuam hominibus in cibum tribuat, non intelligimus; id igitur non fit. Quod conſequens ex iſta vniuerſali vim aſſumit: Deus nihil poteſt, niſi quod nos comprehendere poſſumus. Et ſic miſeri hæretici intellectus ſui paruitate Dei magnifica opera metiri conantur.

Sed operępretium eſt, iſtorum argumentationes & ſyllogiſmos explicare, vt intelligatur, iſtos aut diuinæ ſcientiæ æqualitatem ſibi vindicare, aut certè vitioſè argumentari; ad hũc modum: Deus nihil poteſt, niſi quod nos intelligere poſſumus: id igitur non fit. En præclara iſtorum argumentatio, ex qua intelligitur, aduerſarios, qui Deum nihil poſſe exiſtimant niſi quod ipſi comprehendere queunt, cum Deo de ſcientiæ æqualitate certare. Conſequens eſt præterea, vt Deum omnipotentem eſſe negent. Qui ſic? quia ſuã ſcientiam & Dei potentiam æquales faciunt, eorum autem ſcientia finita eſt: aut igitur Dei quoque potentiam finitam, aut iſtorum argumentationem malam eſſe neceſſe eſt. Quòd ſi Dei potentiam circumſcribere impium eſt, ipſique ſcripturæ ſacræ repugnat, quæ ait; omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, & nihil Deo impoſſibile; operæpretium eſt animaduertere, in quantũ arrogãtiæ audaciæq́. faſtigiũ aduerſariorum

Hæretici ſuã ſcientiam & Dei potẽtiam æquales faciunt.

Pſal. 113. Luc. 1.

riorum tumor animi tandem ad extremum ſit euectus. Quis autem ſatis vberi lacrymarum fonte deploret, quòd tantam hominum multitudinem noſtro ſæculo vſque adeò aduerſarij dementauerint, vt ij ſe & diuinæ ſapientiæ æqualitatem conſecutos putent, & omnium quæ à Deo fieri poſſunt, rationem comprehendere exiſtiment? Sed hoc aduerſariis profectò debemus, quòd miſerum populum nimiſque credulum ita fallunt atque decipiunt.

Omniũ quæ Deus facere poteſt, rationẽ hæretici ſe poſſe comprehendere iudicant.

Quid autem primum accuſem aut execrer, illorúmne improbitatem ac malitiam, qui miſeros ita fefellerunt; an horum ſtultitiam, qui talibus impoſtoribus adeò temerè crediderunt, vt quidquid ab iis dictum eſſet, quamuis incredibile, id totum pro vero cupidiſſimè amplecterentur? Amborum exemplum eſt apud Terentium, glorioſus ille Thraſo eiuſque paraſitus Gnatho. ex quibus ille quidquid ab hoc in eius laudem & gloriam dicebatur, quamquam id falſum eſſe nouerat, facilè credebat; hic autem operam dabat, vt omnem ſuam orationem ad illius ambitionem gloriæque cupiditatem accommodaret. Ita noſtro ſæculo ſectarij concionatores blando ſermone aures hominum titillantes, mundum adeò gloriæ cupidum, adeò Thraſonicũ offenderunt, vt quidquid iis dicendum

In Eunucho.

cendum videretur, is temerè crederet. Dixerunt iſti mundum rectè, etiam abſque vllo ſtudio intelligere ſcripturas; credidit mundus. Dixerunt mundum præclarum eſſe theologum; credidit. Dixerunt eum non minus confidenter & incorruptè de Eccleſiaſticis controuerſiis iudicare poſſe, quàm ipſos theologos aut œcumenica concilia; credidit. Dixerunt omnes antiquos eccleſiæ doctores in hac cauſſa diiudicanda erraſſe, mundum autem errare non poſſe; credidit. Dixerunt diuinas ſcripturas à mundo rectè intelligi; quas his mille annis nemo potuit intelligere; credidit. Dixerunt à Deo illi ad intelligendum ſcripturas Spiritum ſanctum, quem antiqui patres numquam obtinere potuerunt, eſſe conceſſum; credidit. Dixerunt ſanctos Patres fuiſſe homines, ipſum verò minimè; credidit. Dixerunt ipſum tantum ſcire quantum ipſe Deus ſciret; credidit. Quid opus eſt multis? ita gradatim iſtum Thraſonem in tantum gloriæ culmen extulerunt, in tantam ſui obliuionem adduxerunt, vt facilè perſuaderent, eum non ſolùm aliquid magni ac ſupra humanum modum eſſe, verumetiã cum ipſa diuinitate propter ſapientiam poſſe conferri: adeò, vt exiſtimaret earum artium ac diſciplinarum, quas ne attigiſſet quidem, ſe iis ipſis, qui eas docerent ac traderent, longè

Varia hæreticorum errone a dicta à mũdo recepta ſunt.

peritiorem eſſe. Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos. Quæ ſaga ſic mundum faſcinauit, vt nec ſeſe iam norit, nec quid poſſit intelligat? O munde immunde, in te quæſo reuertere. agnoſce teipſum, & hanc animi elationem, hunc tumorē, hos ſpiritus tandem aliquādo depone. Non es (mihi crede) tam doctus, non tantus theologus, non tam oculatus ac perſpicax, quā te tuus Gnatho eſſe mentitur. iudicium tuum ſanctæ matris Eccleſiæ Romanę, quæ errare, labi, decipi non poteſt, auctoritati iudicioque ſubmitte. Neque enim tibi nouum aut inſolitū eſt, falli, circumueniri, ignorare. ſemper error tibi familiaris & amicus fuit. cæcus es: illi ergo, quæ perſpicaciſſima eſt, quæ ſalutis ac vitæ ſemitam nouit, crede.

Mundani homines ad ſui cognitionem inuitantur.

Atque vtinam reſipiſceres, ex iſtoque lethali, altiſſimoque ſomno, quem mortiferi Sirenarum cantus, aures tuas venenata ſuauitate mulcentes, tibi attulerunt, euigilares: vt intelligere poſſes, quàm procul à teipſo, quàm longè à recto ſalutis ac vitæ curſu te ob animi tui leuitatem ac temeritatem iſti abripuerint. Nec mihi dubium eſt, quin aliquando ſtultitiam tuam ipſe riſurus ſis, cùm animaduertes, in quos fallaciarum laqueos te induci paſſus es, quàm falſa, quàm præclara, quàm ſublimia de teipſo tibi perſuaſiſti.

Tum

Tum nobis quoque gratias ages, quòd tibi aſſentatorum tuorum calliditatem, fraudeſque monſtrauimus, eoſque pro ſuis in te meritis nō ſolum iuſtiſſimo odio, ſed etiam execrationibus inſectaberis. Quòd ſi hæc, quę tibi ſcribimus, attentè legeris, quanta aduerſariorum hac in re iniquitas fuerit, eorumq́. conſilia omneſque conatus, quid ſibi vellent atque proponerent, nimirum vt te fallerent, tamquam in ſpeculo te clariſſimè viſurum eſſe confido.

Illis gratias agere debemus, qui nos illorum erroribus Dei gratia liberarunt.

Deum opt. max. precor, vt ad hæc perſpicienda tibi mentis oculos aperire dignetur. Hæc eſt igitur prima & ſingularis aduerſariorū iniquitas, quam in hac cauſſa admiſerūt, dum illius cognitionem, à legitimis veriſque iudicibus auocatam, hominibus ad iudicandum prorſus ineptis committunt; iiſq. quòd ad iudicandum de tam ſublimi cæleſtiq. materia idonei eſſent falsò perſuadent: in qua omnes theologos, non ſolùm viuos, ſed etiam mortuos erraſſe, minuſque idoneos, qui, qua in parte veritas eſſet, iudicarent, fuiſſe dicebant.

Concluſio dictarum rerū.

DE ADVERSARIORVM DOLIS, QVIBVS POPVLVM, *quem iudicem legerant, circumuenerunt, vt contra ſuos maiores inauditos ſententiã ferret.*

CAPVT VII.

Hæretici iudicis vſurpato ſibi officio quomodo vſi ſunt.

VIDEAMVS nunc quàm præclarè noui iſti iudices, aduerſariorum ſalutare (ſi Deo placet) conſilium ſequuti, ſuo officio functi ſunt. Sed illud in primis, aduerſariis prima actione vſq; adeò illuſiſſe hominibus, vt eos huius ſacroſanctæ cauſſæ cognitionem veris legitimiſq; iudicibus extorquere perſuaſos, ad iudicandum de ea pro vniuſcuiuſque etiam imperitiſſimi arbitrio impellerent, parum fuit; niſi etiam illos in ſuis maioribus cum ſua fide cõdemnandis, æquitatis ac iuris rationem vllam obſeruare prohiberent. nouis ſiquidem iſtis iudicibus à ſe lectis aduerſarij præſcripſerunt, vt ſibi cæcam in ferendis ſententiis temeritatem adiungerent, omniaque improuidè ac incõſideratè adminiſtrarent, Euangelicis iudicibus non conuenire totius cauſſæ ſummá exactè cognoſcere, quod alij iudices facere conſueuerunt, ſatis eſſe alteram partẽ audire; ne ſi fortè noui iſti falſi iudices vtramque partẽ audiſſent, adhibitaq. aliqua prudẽtia ac maturitate cauſſam ipſam diligenter expen-

Iudices alterã partem ſolùm audire hæretici contendebant.

expendere,totamq. ipſius rationẽ examinare cœpiſſent,pro illis minimè iudicarent. Ita eos celeriter ſententiá ferre iuſſerunt. Vos ſinguli (inquiunt) tantũ eruditionis,doctrinæ, ſapiẽtiæ,quantũ omnes ſummi theologi, quãtum ipſa cócilia omnia,conſecuti eſtis. nolite itaq. procraſtinare,ſed ſtatim de noſtra cõtrouerſia ferte ſententiam. dicimus maiores veſtros erraſſe,idolorũ fuiſſe cultores,fidẽ, quá ij nobis per manus tradiderũt,falſam eſſe,ac Dei verbo repugnantẽ. Non argumẽta nobis deſunt,non ratio cur ita ſentiamus. Audite igitur,legite,ac tũ demũ iudicate pro nobis. Cauete autẽ in primis,ne illorũ apologiam,illorum argumenta,rationeſq. audiatis aut legatis. non veterum patrũ monumẽta, nõ neotericorum lucubrationes terantur, nõ denique iſtorum Fráciſcanorum aut quorumuis aliorum catholicorum conciones audiantur, ne fortè vobis fidem ſuam incorruptam,Deiq́ue verbo conformẽ probent atque perſuadeát. Credite nobis ſolis, ad eos etenim condemnandos, nos qui eos accuſamus eorumq́ue capitales hoſtes ſumus, audire ſatis eſt. tanta eſt noſtra æquitas, innocentia, integritas. Credite nobis aſſeuerantibus.tanta noſtra fides, ſanctitas, iuſtitia,pietas; vt ſi maiores noſtri, & qui illorum veſtigiis inſiſtunt, non eſſent impij, hæretici, idolorumq́ue cultores;

Hæreticorum ad iudices ſuaſio.

quam illi ſe integerrimos ac ſanctiſſimos eſſe fingebant, capitis ſententiam ferre noluiſſe quis ignorat? iſti verò ſuos noſtroſque maiores inauditos, immo ne citatos quidem, ad eorum tribunalia, aut ſi illi legitimè excuſati adeſſe non poterant, illorum aduocatos ſiue procuratores, qui pro iis cauſſam dicerent, ne admittentes quidem, ſuos inquam maiores, ob ſolam ſuorum aduerſariorum, filiorum, heredum accuſationem impiè nefarieque damnarunt. Et vt nihil malis deeſſet, tantum abeſt, vt illos audiendos aduerſarij putauerint, aut omnino quemquam, qui pro illis diceret, eorúmue cauſſam innocentiamque defenderet; vt iis prorſus conſtitutum ſit ac fixum, illos omnes tamquam capitales hoſtes inhumaniſſimo odio inſectari, qui ſuorũ maiorum patrocinium ſuſcepiſſent, cauſſamque defenderent. Senſerunt hoc pauperes Cœnobitæ, qui hodie iſtorum metu, cultum ordinemque ſuum iter facientes celare coguntur; vt omnibus perſpicuum ſit, quanto & amore Pandôram iſtam aduerſarij depereant; & tamquam alteram Helenam vi, contentione, iniquitate defendant. Quòd ſi iſti, qui noſtro hoc ſæculo ſalutare veritatis ac fidei iter deſeruerunt, antequam eam abiicerent ac pro falſa damnarent, legere & audire dignati eſſent, quid & maiores noſtri, & eruditiſſimi

Hæretici contra inauditã partem ſententiam ferunt.

ditiſſimi homines noui ad eam defendẽdam & illuſtrandam diſputaſſent, litteriſque mãdaſſent, nõ dubito quin eam & pro vera probaſſent atque amplexi eſſent, & perpetua ſtabilitate conſtantiaque retinuiſſent. immo verò ſi iam id facerent, agnito ſuo errore, ad regiam viam, cui maiores eorum inſiſtentes, ſalutem conſecuti ſunt, redirent, nec puderet eos temeritatem ſuam ſtultitiamque damnare. Quod noſtra memoria cõpluribus vſu venit, qui in tanta opinionum varietate & cõfuſione, tamquam vaſtiſſima tempeſtate, diu multumque iactati, cùm ex iis fluctibus enatare non poſſent, nec in illa tanta caligine, qua in parte veritas eſſet, viderent, ac proinde quò ſe verterent non haberent; tandem iis ſalutare conſilium fuit, vt ad antiquorum eccleſię patrum atque doctorum monumenta recurrerent, quibus diligenter ſtudioſeque lectis, ad extremum ſedatis illis animi fluctibus, in antiquæ fidei portu acquieuerunt, tenebriſque depulſis, clariſſimum veritatis lumen ſe inueniſſe lætati ſunt.

In errorũ tempeſtate iactati, ſalutare quod inuenerunt conſiliũ.

Sed iis, qui tantum animo fluctuabant, faciliùs fortè ſubueniri potuit. Quid de iis dicam, qui veritatis itinere deſerto longiùs aberrauerant; nec ſolùm in aduerſariorum caſtris fuerant, verùm etiam in hæreſeôn & errorum cœno multo tempore volutati erant?

Ex iis

Ex iis ſanè complures, cùm antiquorum monumenta ſtudioſè legiſſent, vt intelligerent quomodo illi credidiſſent, & quæ illos ratio ad huiuſmodi fidem adduxiſſet; tandem ea lectione admoniti, à priſtinoque errore reuocati, aduerſariorum caſtra, in quibus antè floruerant, nec modò gregarij milites, verùm etiam duces & anteſignani fuerant, reliquerunt, pedemq́. referentes, ſe in veritatis viam prudentiſſimè receperunt. Quod cùm ſummi viri, Vuicelius, Duarenus, Staphylus, aliique nonnulli noſtra memoria fecerint, à nobis iure laudantur. Id cùm aduerſarij non ignorent, ne quiſquam ex eorum diſcipulis patrum monumenta legat magnopere verentur. quos etiam contumeliæ cauſſa ranas Ægyptiacas vocant: nec ea linguæ petulantia & impietate contenti illorum ſapientiæ oblatrant, nihil in iis ſpiritus, ſomnia & aniles fabulas eſſe quæcumque illi loquuntur aut ſcribunt; aliaque huiuſmodi inſanis vocibus perſtrepentes, vt ſuos auditores ab illorum lectione deterreant. quos ſi legerent, profectò nouos illos magiſtros non tanti facerẽt, ſed potiùs cum ſua impietate cõtemnerent.

Hæretici ſuis diſcipulis libros catholicos quare interdicunt.

Nihil noui erroris iſti quod ſciam excogitarunt, quod non olim exploſum ſit, & antiquorum patrum conciliorumque auctoritate damnatum; niſi fortè ea quibus in miſſæ

ſacrificium vt canes latrant. In quod antiquorum hæreticorum dicere aut ſcribere auſum adhuc legi neminem, niſi fortè ij, qui Auguſtini ſæculo ſola ſpiritualia ſacrificia ad cultum Dei neceſſaria eſſe putabant, ea de re aliquid dixerunt. Sed Auguſtinus planum faciens hominem, qui ex anima conſtat & corpore, non ſolùm mente, ſed etiam corpore Deo ſacrificare debere, huiuſmodi confutauit errorem. Ceteri autem iſtorum errores in antiquorum libris ſatis copioſè confutati reperiuntur, in quibus omnia, quæ fidei noſtræ iſti obiicere ſolent argumēta ſoluuntur. Quòd ſi cui hoc dubium fortè videatur, ne quis relinquatur ambiguitati locus, me planum facturum eſſe profiteor: adſint modò æqui iudices, & audiendi vel legēdi patientia.

Auguſtinus.

Errores in antiquorum libris copioſè cōſutati ſunt.

Quæ cùm ita eſſe aduerſarij non ignorēt, ne quis eorum, quos huius cauſſæ iudices eſſe voluerunt, antiquorum ſcripta in manus ſumat, diligētiſſimè curant. nam huiuſmodi iudices legerunt, qui aut ob litterarum imperitiam illorum monumenta legere non poterant, aut ſi qui poterant, homines illos fuiſſe latrantes, ne id facerent, diſſuaſerunt. Quid autem erat cauſſæ, cur ſuos ab illorum lectione reuocarent? Illud nimirum quod antè cœperam dicere, ne homines incauti, cùm intelligerent antiquos illos patres contra ve-

Patrum antiquorum ſcripta hæretici recipi quare prohibebant.

tra veteres hæreticos, iſtorum magiſtros & patriarchas, tam accuratè ſcripſiſſe, iſtos illorum poſteros ac diſcipulos paullatim cõtemnerent, patrumque ſententiam, qua iſtos multis abhinc ſæculis damnatos eſſe conſtat, ſuo calculo comprobarent. Quod ſi fieret, frigerent iſti, eorumque iaceret auctoritas, cùm omnes intelligerent, nihil in iis admiratione dignum eſſe, nec ſingulari Dei munere (quod plerique exiſtimant) noui aliquid in medium protuliſſe. nihil tamen noui dicunt. nam quæ ab iſtis dicuntur, aut ſunt bona, & à noſtris iam dicta ſunt; aut mala, & eorum inter veteres hæreticos reperiuntur auctores. Quod pluribus exemplis ſuperiùs oſtendimus, iamque aliis ex abundanti planum faciemus. Aduerſarij negant liberum hominis arbitrium: id, teſte Hieronymo, à Manichæis ſumptum eſt. Legis Dei obſeruantiam impoſſibilem eſſe contendunt: hoc æquè de eodem Manichæorum fonte deriuatum eſt. Baptiſmum aquæ neceſſarium eſſe negant, ſicut olim (Auguſtino teſte) Seleuciani & Herminiani ſentiebant. Negant confeſſionis ſacramentum eſſe neceſſarium; ita quondam Audiani Theodoreto teſte. Ordinis ſacramentum de eccleſia tollendum putant: in eadem hæreſi (vt ait Damaſcenus) erant Maſſiliani, & pòſt Albigẽſes. Imagines

Hieronymus in prologo Dialo. contra Lucifer.

Damaſcenus.

ſacras

ſacras idola eſſe contendunt: ita quondam & Feliciani,& deinde Valdenſes. Virginitatem matrimonio præferendam negant: Iouiniani illud ſomnium eſt teſte Hieronymo. Quid opus eſt multis? nihil ab iſtis dicitur, quod non dictum ſit prius. Quid reliquos iſtorum errores enumerem? certè ſi quis Hieronymi & Epiphanij contra hæreſes, Auguſtini de hereſibus ad Quodvult Deum, & Philaſtri aliorumque veterum aduerſus hæreſes ſcripta legere voluerit, quibus ex fontibus huiuſmodi errorũ impietas hauſta ſit, liquidò perſpiciet; quemadmodum etiam Reuerendiſs. D. Lindanus in ſuis tabulis diligenter expoſuit.

Sed ne huiuſmodi libri in ſuorum manus veniant aduerſariis curæ eſt, vt illi hinc ſemper in errore teneantur, & taliũ dogmatum iſti habeantur auctores, ac proinde velut orbis terrarum clariſſima mirentur ingenia; inde ne validiſſima argumenta, quæ patres noſtri aduerſus illorum errores quaſi quædam tela torſerunt, & hæreticorum ſophiſmata, quibus ij catholicam fidem oppugnant, euerſa conſiderent. Quæ cùm ita ſint, ab omnibus quibus veritas & animarum ſuarum ſalus cordi eſt, vt antiquorum libros diligenter legant peto: id quicumq. fecerit, non ſolùm quæ dicimus ita ſe habere perſpiciet, verùm etiam intelligens tantorum hominum, in

Antiquorum patrum libros legere oportet.

quibus

quibus eximia virtus cum ſingulari eruditione doctrinaque certauit, fidem ac religionem noſtræ fidei adeò congruere, incredibilem animi capiet voluptatem. Quòd ſi ſuos diſcipulos ſanctorum patrum lectioni incumbere paſſi eſſent aduerſarij, nihil erat quod in illos nobis ſcribendum videretur. quidquid enim ab iſtis in ſuorum errorum confirmationem adfertur, iam dudum à patribus ſatis refutatum eſt. Multa quidem aduerſarij callidè, ſed haud ſcio an ad orbem circumueniendum atque fallendum callidiùs aliquid ac vafriùs, quàm quod antiquorum monumenta ſimplicium hominum manibus extorſerunt, eaque legere paſſi non ſunt. hoc enim modo duo quæ ad rem mirè faciunt conſecuti ſunt; vnum ne doctrinæ eorum hæreticæ fontem, originem, antiquitatem populus intelligeret; alterum, antequam ſtultum & imperitum illius iudicium caperent, vt ingenij acumine iis omnibus qui ante ſe fuerant, anteferrentur: cùm ea, quæ ipſi docent atque defendunt, neminem antè docuiſſe populus arbitraretur. Id quã falſum ſit, quiſquis ad antiquitatis opera libroſque recurrerit, facilè perſpiciet.

Libros antiquorum patrũ interdicendo hæretici duo conſequi intendebant.

Duo autem hac vna in re iniquitatis genera aduerſarij cõiunxerunt. primùm in ipſam antiquitatem ſanctoſque illos patres, cùm

nouos

nouos iſtos à ſe lectos iudices, legendis patrũ libris, & quid illi ſenſiſſent, & cur ad religionem ac fidem, qua nos quoque ſuos poſteros imbuerunt, ſecuti eſſent, cognoſcere paſſi non ſunt.

Circa ſuos iudices hæretici quid facere debuerũt.

Alterum in ipſos ſuos iudices, quos monere debuerant, ſui officij eſſe, vt de tanta cauſſa rectè iudicarent, quid aut patres eorum ad ſuæ fidei confirmationem attuliſſent, aut illorum poſteri, tot homines ſumma eruditione doctrinaque præſtantes, qui noſtra memoria ſummis laudibus floruerunt, quid ad eandem cauſſam defendendam dixiſſent, aut ſcripſiſſent cognoſcere; ne damnando inauditos ius ipſum æquitatemque violarent: alioqui profectò qui de hac cauſſa rectè iudicet nemo reperietur.

Ad litteratos omnes pia obteſtatio.

Ego verò omnes litteratos oro, & per Chriſti paſſionem ac mortem obteſtor (ſi qua eos ſalutis ſuæ cura tangit) vt antequam & nos & maiores noſtros eâdem ſentẽtia damnent, antiquorum patrum theologorum eccleſiæque magiſtrorum opera legant. id ſi fecerint, & quod dicimus, nimirum fidem, quam ab iis traditam accepimus, ab ipſis ſatis doctè & accuratè eſſe illuſtratam atque defenſam, aliter ſe habere deprehenderint, ego nullum ſupplicij genus recuſabo. Quòd ſi eorum opera legere nolunt, cùm aduerſariis ſe vſque

adeo

adeò fauere oſtendant, vt neq. quidquã aliud niſi illorũ probationes legere, neq. aliquẽ noſtrũ maiorumq́. noſtrorũ patronum dicẽtem audire ſuſtineãt; ab iis humanitatis iure peto, ne in hac maxima grauiſſimaq́. cauſſa iudicũ officium ſibi vindicent & aſſumant. id ſi fecerint, iam nunc & pro maioribus noſtris, & pro nobis ipſis, ab eorum ſententia ad Chriſti, qui noſtram innocentiam ab eorum violẽtia & iniquitate defendẽt, tribunal appello.

Ab aliis autem, qui ſcripta maiorum neq. legere neque intelligere poſſunt, ipſa æquitas poſtulat, ne de tali cauſſa (cùm ipſi ſint ad hoc inepti, & minus idonei, quippè qui alterius partis argumenta probationeſq́ue legere neſciunt) audeant iudicare. Neque enim minus abſurdum ac ridiculum eſt, cùm homines imperiti, qui ne primas quidem litteras attigerunt, nec partium ius legere aut intelligere poſſunt, de ipſa tamen cauſſa, quam neſciunt, pronunciare non dubitant, quàm ſi cæcus de coloribus, aut ſurdus de muſicis iudicaret. Quòd ſi huiuſcemodi iudex caſu rectè iudicaret, fortunæ id adſcribendum eſſet; & quemadmodum Rableſianus ille iudex facere conſueuerat, ita hunc ex alea & ſorte, vtra in parte ius eſſet, diſcere oporteret. Itaque ſi à talibus iudicibus appellamus, ſi pro maioribus noſtris, pro nobis ipſis denique

Cæcus non iudicat de coloribus.

Simile.

ad alios

ad alios magis idoneos prouocamus, cui facere videmur iniuriam? Quis adeò durus ac ferreus, qui id moleſtè ferat? neque enim dubium eſt, quin ij, qui antiquos illos patres eccleſiæque doctores aut propter imperitiam legere nequeunt, aut ſi id poſſunt, tamen nolunt, aut ſi volunt, propter alias tamen occupationes id facere non poſſunt; ad iudicandum, vtrum illi in fide errauerint, an non, æquè inepti ſint. Ab inimicis autem ſolùm accuſatos, minimeque conuictos, temerè dánare, legibus omnibus ac æquitati repugnat.

Iudices ab hæreticis electi quàm ignari fuerint oſtenditur.

Cùm igitur ex iis quos huius controuerſiæ iudices aduerſarij eſſe voluerunt, cõſtet, alios antiquorum libros neque legere neque intelligere poſse, propterea quòd & ij libri aut Græcè aut Latinè ſcripti ſunt, quas linguas iſti neſciunt, alios litterarum peritos, aut propter alias occupationes, quibus diſtricti ſunt, aut ob ipſorum voluminum, quæ magno cõſtant, pænuriam id præſtare non poſse, aut ſi poſsunt, quod & librorum copia & otio abundant, nolunt tamen, hinc ob incredibilẽ amorem, quo aduerſariis deuincti ſunt, inde ob immane Vatinianumq́ue odium ac furorem, quo in nos inflammati exæſtuant, non eſt mirum, ſi iſtorum iudices tam multa non ex iure, æquitate, iuſtitia, veritate, ſed potius ex mendacio iudicent, ſi errantium

& a

& ab antiquæ fidei veritate diſſentientium plena ſunt omnia. Veritatis enim ſpiritus huiuſcemodi temerarios, iniquos, fatuos iudices, qui altera parte inaudita de tam graui cauſſa tam leuiter iudicăt, diſserit. Quæ cùm ita ſint, quis hoc loco iniquiſſimum atque indigniſſimum facinus non videat, cùm aduerſariorum, qui lectis à ſe iudicibus, vt in tanta cauſſa tam temerè leuiterque agerent, auctores fuerunt, tum ipſorum iudicum, qui ſuos maiores æternis ſuppliciis ita temerè adiudicantes, omnia iura impiè nefarieque violarunt?

O DE

DE AXIOMATIBVS SIVE PROPOSITIONIBVS FALSIS AC *ridiculis, quas aduerſarÿ fabricant, nobiſque ac maioribus noſtris adſcribunt; & de falſorum iudicum ſuorum temeritate, qua illis leuiter credunt.*

CAPVT VIII.

SED alias etiam aduerſariorum ſuorumque nouorum iudicũ iniquitates videamus. Superius diximus officium iudicis eſſe cauſſam ipſam illiuſque ius, qui in iudicium vocatur, non ex accuſatoris oratione, ſed ex ipſius rei narratione cognoſcere. neq. enim accuſator, cùm ſit inimicus, magnopere curat quid aut dicat aut fingat, modò id cauſſam ſuam adiuuare, veritatiſque imaginem ac ſpeciem adferre videatur. Quapropter incorruptus ac bonus iudex huiuſmodi accuſatori non temerè credet, niſi reum ſe iis criminibus, quæ illi obiiciuntur, purgantem audierit. odium enim quo in reum accuſator inflammatus eſt, cuiuis æquo iudici ſuſpectum reddere debet, quidquid ille ſine certis ac euidentibus probationibus in reũm dixerit. maximè verò cũ de vita & de capite agitur, accuſanti inimico facilè credendum non eſt. Quid autem nequius, quid improbius eo homine, qui vt alte-

Iudex bonus accuſatori temerè non credat, & reum ſe purgantem audiat.

teri capitis periculum creet, in eum crimina falſa confingit? Quòd ſi in cauſſa quæ ad hác vitam, aut ad huius ſæculi bona pertinet, mẽtiri ac fallere nefarium eſt; in his ex quibus hominum omnium æterna mors vitaq. pendet, mentiri, quantum crimen exiſtimádum eſt? Talis eſt hæc fidei religioniſque cauſſa, quę remotis dolis atque mendaciis cádidè ex animo verè agenda eſt, nihilque in aduerſarios dicendum, quod iudici tenebras, ne veritatem ipſam cernere poſſit, offundat. Hoc nobis omnis bonus ac veri ſtudioſus facilè concedet.

Sed in hac parte aduerſarij eorumque noui iudices maximè grauiſſimeque peccarunt. Illi ſiquidem complures ſtultas opiniones, ridiculaſque ſententias & vana mẽdacia commenti, nobis adſcribunt, ſuiſque iudicibus talem fidem & maiorum fuiſſe & noſtram adhuc eſſe confingunt. hi verò nobis inauditis grauem iniuriam inferunt, cùm adeò temerè mentientibus credunt; noſque indicta cauſſa antè condemnant, quàm aut à nobis quærant, vtrum aniles illas ridiculaſque ſẽtẽtias, quas nobis aduerſarij attribuunt, tenẽdas defendendaſque putemus; aut quæ ſit fidei doctrinæque noſtræ ratio, ex noſtra oratione cognoſcant. Aduerſarios autẽ eorumque iudices, id eſt populum ab iis circum-

Hæreticorum iudicium temerarium & iniquum fuit.

uentum atque deceptum, ita (vti diximus) in nos egiſſe, ex iis quæ illi de nobis ſcribunt, loquuntur & credunt, facilè probabimus. Exempli cauſſa, ex illis mendaciis, quę ab iſtis fabricata ita nobis adſcribunt, vt præclaris illis iudicibus ſuis nos ea pro Euangelij veritate habere perſuadeant, nonnulla ponemus. Fingunt à nobis Romanum pontificem haberi pro Deo. Quod quàm falſum ſit, facillimè intelligi poteſt. *Hæreticorum mendacium contra Chriſtianos.* Quis enim noſtrûm vmquam id aut ſenſit aut docuit? quis Papam Deum credidit? at enim pontifici obtemperamus, eumque tamquam Chriſti vicarium ac ouium eius paſtorem vniuerſalem veneramur & colimus. Rectè id quidem. *Ioan. 21.* Nónne Apoſtolorum principis Petri, cui à Domino dictum eſt; Paſce oues meas, paſce agnos meos; verus ſucceſſor eſt pontifex? Et quoniá Chriſti oues ſumus, qui ſuis diſcipulis atque paſtoribus diuina voce dicebat: Qui *Luc. 10.* vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit; & qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit: tantum cæleſtis ſententiæ fulmen timentes, debitum ei tamquam ſpirituali patri honorem prætermittere non audemus. *Rom. 13.* Quid? nónne Paullus Apoſtolus præcipit, vt præpoſitis noſtris obediamus, eoſque honore *Heb. 13.* ac beneuolentia proſequamur? Quàm impudenter autem calumniantur aduerſarij,

cùm

cùm nos Papam habere pro Deo ſceleratiſſimè mentiuntur? neque enim nos niſi in vnum Deum credimus.

Quid, quod eâdem fidei integritate atque præſtantia iactant, nos & ſanctis diuinos honores deferre, & publicè docere ſanctorum imagines tamquam minores quoſdam Deos adorandas eſſe; quoque elegantior eſt imago, eò maiori cultu & honore eſſe venerandam? Ad hæc quòd in Eucharistia buccellam panis adoramus, quòd Euangelio ſanctorum doctrinam anteponimus, quòd in concionibus de doctrina fidei mentionem non facimus, quòd hominem ſine gratiæ Dei auxilio totam legem ſeruare poſſe dicimus, quòd aliquem bonis operibus ſuis remiſſionem peccatorum mereri poſſe defendimus, quòd in pœnitētia ſuperuacuam fidem eſſe dicimus, aliaque complura ad hunc modum, quæ nos neque docuimus vmquam, neque defendimus. ſed aduerſarij huiuſmodi falſas & aniles opiniones fabricati, præclari ſcilicet architecti, talē noſtram eſſe doctrinā ſuis iudicibus perſuadent, omneſque eloquentiæ ſuæ neruos iis opinionibus refutādis intendunt. Qua in re ſe contra nos Euangelium defendere gloriantur, tametſi noſtrorum nullus, quem mater eccleſia Romana probauerit, huiuſmodi ſententias vmquam docuerit; ſed eas

Diuerſa hæreticorum mendacia aduerſus Chriſtianos conficta proponuntur.

Qua in re hæretici maximè gloriantur.

ipſi pro ſua libidine commenti, tamquam chimęras quaſdam oppugnant, vt apud ſuos gloriari poſſint, ſe ea refutaſſe, ac de iis triumphaſſe, quæ illi à quibus defendi doceriq́ue dicuntur, ſemper exploſerunt atque damnarunt. Quòd noui eorum iudices, nobis ne interrogatis quidem, num ea ita doceremus an non, & temerè crediderunt, & nos patreſque noſtros tamquam hęreticos æternę morti adiudicantes, nixam mendacio ſententiam impiè tulerunt.

Ex quo perſpicuum eſt, aduerſarios non ſolùm fidem noſtram pro ſua libidine adulterare mendaciiſque fucare, verùm etiam ſexcentas ineptias abſurdiſſimaſque ſententias, quaſi à nobis excogitatas, inferre. imperiti autem iis, quæ ab ipſis ficta ſunt, nimis temerè ac improuidè credunt. Qua in re aduerſarij potius Medij cuiuſdam ex Alexandri paraſitis peſtiferum conſilium, quàm legis diuinæ ſalutare præceptum ſequuntur. ille ſiquidem alios hortari ſolebat, ne metuerent quoduis crimen in quemuis intendere. Vt maximè, inquit, ſanet vulnus quod illatum eſt, manet tamen cicatrix: hæc autem grauiſſimè vetat, ne quis criminator aut mēdax aut calumniator exiſtat. Rectè igitur Hippias, nihil, inquit, calumnia pernicioſius in rebus humanis. nullam enim in calumniatores

Medius Alexandri paraſitus.

Hippias.

quem

quemadmodum in alios fures, legem eſſe latam, cùm illi amicitiam, qua nihil melius homini, nihil vberius tollant. Nihil calumnia deterius Cleanthes eſſe dicebat, quæ ſimul atque aliquem occulta perſuaſione deceperit, etiam odium in eum, qui non commeruit, ſuſcitat. *Cleanthes.*

Quòd ſi aliis in rebus calumniari adeò nefarium eſt, quid de iis dicemus, qui in hac ſacroſancta fidei cauſſa paſſim vtuntur calumniis, & pro ſua libidine quidquid iis in mentem venit, de aduerſariis fingere, illiſque obiicere non dubitant? quid autem aliud his artibus moliuntur, niſi vt iudicum ſuorum in nos odium inflamment, quo fiat, vt illi odio abrepti, veritatem videre non poſſint? Sed ſcitum eſt illud Demoſthenis: Etſi calumnia auditorum opinioni ſe ad tempus inſinuat, nihil tamen ad extremum ea fit infirmius. Itaque fore confidimus, vt iſtorum auditores eorum calumniis audiendis aliquando ſatiati, tandem noſtri miſereantur, ac diligentiùs inquirant, num ea quæ de nobis aduerſarij iactitant, vera ſint, an non. Quod vt quàm celerrimè fieri poterit, faciát, etiam atque etiam rogamus; noſque ſincerè & candidè quod cauſſa poſtulat reſponſuros eſſe promittimus. Nulla hic erit tergiuerſatio, ſed coram quouis æquo iudice planum *Demoſthenis de calumnia dictum egregium.*

faciemus, nihil eſſe niſi ſplendida mendacia meraſque calumnias, quæ in nos aduerſarij fabricantur ac fingunt, dum vſqueadeò abſurdas opiniones, ridiculaſque ſententias, de quibus ſuprà diximus, nos & pro veris habere, & in concionibus docere iactant. Has illi fingunt, has nobis vel inuitis adſcribunt, vt apud fatuos iudices doctrinæ opinionem cõſequantur;& nos improbi ac nefarij homines eſſe videamur, qui ventris cauſſa, vt illi falsò iactitant, adeò falſa, qualia ij nobis attribuũt, adeò abſurda & inepta defendimus.

Igitur ſi eorum iudices hac in nos æquitate ac moderatione vti nolunt, vt vel à nobis, antequam ſententiam ferant, quærant quæ ſit fides noſtra, quæ doctrinæ ratio, num ea defendimus, quæ iſti nobis adſcribunt, ab illorum ſententia prouocamus, noſque cum maioribus noſtris inauditos dãnari dicimus, nec iniuria iudices alios appellamus. Cùm enim huiuſmodi opiniones negemus à nobis vmquam fuiſſe defenſas, quam aliam illi ſatisfactionem exſpectant? ſi tamen æquitatis vllam putant habendam eſſe rationem. nam cùm illas negemus eſſe noſtras, etiam ſi ex noſtris aliquem tam abſurdas & inſanas opiniones aliquando defendiſſe conſtaret, eſſet id quidem publicè recantare. Quid amplius poſtulant? an nos cogendos putant, vt quod

Falſas opiniones, quas hæretici Chriſtianis adſcribunt, negare ſufficiens ſatisfactio eſt.

æqu

æquè atque ipſi, immo verò pluſquàm ipſi deteſtamur atq. damnamus, id defendamus inuiti? Oleum igitur & operam perdunt, cùm huiuſmodi erroribus refutandis, quos eorum, quibus illi adſcribunt, nemo defendit, eloquentiam ſuam iactant. Quòd ſi hanc ſatisfactionem recipiendam nõ putant, quid velint non intelligo. Omnem itaque æquum iudicem appello ac peto, vt & aduerſariorum & nouorum illorum iudicum, qua in nos abutuntur, iniquitatem inhumanitatemque conſiderent. Quæ quanta ſit hinc intelligi poteſt, quòd neque noſtram æquiſſimam ſatisfactionem, qua nos ab illorum tam prodigioſis mendaciis calumniiſque purgamus, recipiendam putant, & vt in nos orbis odia inflamment, eas inuitis nobis attribuunt & adſcribunt. Qua in re tertia illorum apparet improbitas & iniquitas, quam in hac cauſſa aduerſum nos aduerſarij commiſerunt.

Aequiſſimam ſatisfactionẽ hæretici admittere nolunt.

QVOD ADVERSARIORVM IVDICES, AD INTELLIGEN-*dam bonam maiorum ſuorum cauſſam, ante-quam eos damnent, non ſatis temporis ſumunt.*

CAPVT IX.

VENIAMVS ad quartũ caput iniquitatis iſtorum, in quo non minores iniuriæ nobis illatæ, non pauciora aduerſariorum ſcelera, fraudes, doli, quàm in ſuperioribus reperientur. quæ omnia ex hoc fonte manant & profluunt; quòd ad huius cauſſæ cognitionem neque ſatis temporis ſumunt, neque debitam adhibent diligentiam. Vno ſiquidẽ die, ob vnam aut concionem auditam, aut lectionem libelli alicuius aduerſariorum, & noſtrorum, & tum etiam ſuorum, cùm illi fidem noſtram adhuc retinerent; nam ſi eos pro aduerſariis non habebant, Chriſtiani certè erant nimis frigidi; quippe qui nullo fidei ſuæ tangebantur affectu: vno inquam die non ſolùm maiorum ſuorum ac noſtram, verumetiã ſuam fidem tamquam falſam abiecerunt atque damnarunt. VVitenbergenſes enim ad vnã tantùm concionem auditam vnius hæretici, confeſſionis ſacramentum reiecerunt.

Hæreticorum Qua in re quantum extremæ temeritati tribuant

tribuant, quis ſine lacrymis memoret, præſertim ſi & ipſius cauſſæ magnitudinem ac pondus, & quanto in ea periculo erretur attentè conſideret? neque enim iſti ad intelligendam ac diſcutiendam hanc materiã multum temporis poſtulant, ſed vno aut altero die audito ſemel aut iterum hęretico concionatore, aut certè cum horum aliquo, cui inter cyathos ac patinas de ſua fide diſputare ludus eſt, vno vel altero menſe conſumpto eam ſtatim condemnant ac reſpuunt.

leuitas & temeritas quanta ſit.

Sæpè miratus ſum cuiuſdam hominis temeritatem & inſaniam, qui antequam in certum patriæ noſtræ opidum accederer, catholicam colebat fidem, in quo cuidam hæretico cõtubernalis factus, intra duos aut tres menſes ita ab illo hæreſeos venenum imbibit, vt qui catholicæ religionis cultor acceſſerat, rediret hæreticus. Is igitur cùm ad ſuos rediiſſet (quis autem neſciat quantum ille ſe theologum arbitrabatur) quid in illa peregrinatione didiciſſet, expoſuit: ac ſimul cauſſam oſtendit, cur primæ ſuæ fidei nuntium remiſiſſet. Quid igitur ille adferebat? nimirum illud in primis, vt miſſæ ſacrificium euerteret, ſe duabus hebdomadis laboraſſe, vt intelligeret quid ſit miſſa; ſed nihil ſe conſecutum eſſe. Ex quo concludebat, in ſuam ſententiam, immo verò in certam animæ ſuæ

Cuiuſdam hæretici leuitas & impudentia.

ſuæ perniciē miſſam nihil valere. Quæ cùm ab illo temerè & improuidè dicta eſſent, non defuerunt qui illius arrogantiam retunderent. Quid? inquiunt: ſi de ſordida neſcio qua cauſſa ageretur, vt de illa commodè iudicibus referre poſſes, non minore ſpatio tēporis opus eſſet, & vt tam ſublime diuinumque myſterium intelligas, tam paucos dies tibi ſufficere exiſtimas? Ita nihil iſtius importunitate & arrogantia ſtultius, nihil miſerius, nihil cæcius. nam qui cōdemnat illud quod ignorat, quia hoc ipſum non intelligit, omnem veritatem ac ſcientiam ſibi notam exiſtimat; ac proinde omnia ſcire ſe putat, quemadmodū iſte, qui (vt ait beatus Iudas) quidquid neſciebat blaſphemabat. Viginti iam anni ſunt, ex quo ſacris litteris ac theologiæ operam dare cœpi, & tamen triennium in hac ſola parte conſumpſi, vt quid ſit miſſa, quæ illius ratio, & quemadmodū illa à Christo ſit inſtituta cognoſcerem: & iſte egregius vir, cuius ingenio nihil mihi cedendum exiſtimo, quindecim diebus tanta myſteria ſe complecti poſſe confidit? non diſſimilis Bethulienſibus hic erat, qui Deo quinque dierum ſpatium aſſignauerant, intra quos, niſi de hoſtium manibus liberarentur, iis ſe dedere conſtituerant. Quos imitatus iſte bonus vir Deo quindecim dierum terminum circumſcri-

Beatus Iudas Apoſtolus in ſua canonica.

Iudith 7.

cumſcribebat, intra quē,niſi quæ eſſet ipſius
de miſsæ ſacrificio fides intelligeret,eam re-
pudiare, ſeſeque hoſtibus dedere cogitabat.
Cui, quod quondam Bethulienſibus Iudith
ait, meritò dicitur: Et qui eſtis vos qui tenta-
tis Dominum ? non eſt iſte ſermo qui miſeri-
cordiam prouocet, ſed potius qui iram exci-
tet,& furorem accendat. Ita qui Deo dicunt;
fidem meam repudiabo,niſi intra quindecim
dies vnúmve menſem illius rationem intel-
lexero;eos Deum tentare, eiuſque iram pro-
uocare cenſeo.

Iudith 8.

Alcmenes Lacedæmonius interrogatus à
quodam,cur Spartani iudices multos dies in
capitalium rerum cognitione conſumerent,
eos ita facere ſolitos eſse reſpondit,propterea
quòd eorum ſententia, ſi fortè aberraſset,
póſt nullo modo corrigi poſset. Quibus ver-
bis oſtendebat, in rebus cauſſiſque magni
ponderis,vt hæ liquidò intelligi valeant,mul-
tis diebus opus eſse, ne veritas temporis filia,
legitimo ad naſcendum in lucemque pro-
deundum tempore deſtituta, aborſum paſsa
eſse videatur. Et ſanè ad hanc cauſsam ple-
niùs cognoſcendam non ſolùm quindecim
aut triginta diebus , ſed etiam compluribus
annis opus eſt. nam antequam aliquis om-
nia quæ ad rectè iudicandum de hac cauſsa
ſint neceſsaria conſequi poſſit,iam ætas ver-
get in

Alcmenes Lacedæmonius.

Veritas temporis filia legitimum tempus ad naſcēdum requirit.

get in ſenium. In primis enim danda eſt grã-

Grammatica vtilitas.

maticis opera, vt veram atque germanam verborum ſignificationem intelligat, quæ vis ſimplicium, quæ ratio compoſitorum, quæ proprietas ſingulorum, ne in ſenſu litterali ſententiarum, quę hinc inde in medium proferentur, imperitia duce labatur. Iam de dia-

Dialectica neceſsitas.

lecticis quid dicam? quorum ſcientia adeò neceſſaria eſt, vt ea ſine nec à falſis vera diſcerni, nec argumentorum vis intelligi poſſit?

Rhetorica vſus.

Quid de rhetoricis? quæ niſi teneat; qui fieri poterit, vt dolos, quibus aduerſariorum plena eſt oratio, comprehendat? Quid theo-

Theologia ſcholaſtica neceſsitas.

logia? nónne in primis neceſſaria, vt rem totam quæ vocatur in dubiũ planè cognoſcat, in hiſque omnibus artibus, de quibus diximus, ſit apprimè verſatus; vt de iis quæ vtrinque proferentur, rectam ac ſinceram poſſit ferre ſententiam? Sed quàm rara hæc auis ſit, quis non videt? quem enim dabis, cui hæc inſint omnia?

Quanto autem tempore ſtudiis incumbendum eſt, antequam aliquis in tantum eruditionis atque doctrinæ culmen aſcendat, quãta, vt de hac cauſſa rectè iudicet, neceſſa-

In theologica cauſſa qualis iudex deſideratur.

ria eſt? Ego verò vt quod ſentio, ſimpliciter exponam, in hac ſum opinione, vt eum qui in hac cauſſa iudicis partes ſibi ſumendas putat, primum 25. aut 30. annos veterum pa-

trum Eccleſiæque doctorum theologiæ iugi perpetuóque ſtudio diligenter incumbat. Deinde quoniam errores celeriùs faciliuſque diſcuntur, quàm veritas, in iſtorum nouatorum matæologia decem aut quindecim annos aut perdat aut certè conſumat; vt interea temporis omnia illorum argumenta, rationes, ſyllogiſmos per otium expendat ac trutinet, & vtrùm aduerſarij rectè an ſecus argumententur intelligat. Ad extremum autem antequam audeat ferre ſententiam, quid illi de ipſius controuerſiæ ſumma videatur, cum doctiſſimis viris conferat. Quòd ſi hoc alicui longum ac prolixum eſſe videatur, quando obſecro aliquis omnes & veterum illorum patrum, & iſtorum nouorũ dogmatiſtarũ libros leget, euoluet, intelliget? quod niſi factum ſit, de iis rectè iudicari non poteſt.

Quæ igitur (malum) iſtorum audacia eſt? quantus animi tumor? quàm deteſtabilis arrogantia? qui cùm honeſtiſſimas diſciplinas vix à limine ſalutauerint, de tanti ponderis cauſſa intra biduum pronunciare non dubitant. Magna eſt aduerſariorũ aſtutia & verſuta calliditas, vt fidei noſtræ arcem oppugnent & euertant. non deſunt iis fraudulentiſſimæ captiones ac ſophiſmata, è quibus doctiſſimi quique nonnumquam ægrè, nec ſine magno labore, tamquam ex mæandris quibuſdam

Hæreticorum fraudulentiſſima ſophiſmata.

quibuſdam ac labyrinthis elabuntur; indocti autem & leues, qui in illos mæandros temerè ingreſſi ſunt, exitum inuenire nō poſſunt.

Exempli cauſſa aliquid proferemus, vt quanta ſit iſtorum & quàm captioſa calliditas, perſpici poſſit. In Synodo Poſſiacenſi Beza orationem habuit in qua ad ſubruendam noſtram de Euchariſtiæ myſterio fidem captioſum quoddam ſophiſma produxit, adeò tectum, & eloquentiæ adulterio (ſub quo latebat illa fraudulenta calliditas) ita fucatum vt ſummos quoſdam ac eruditiſſimos viros animaduerterim, qui illius argumentum, quod tamen nihil aliud eſt niſi ſophiſma, quemadmodum iis omnibus qui Dialecticis imbuti ſunt, facilè probare poſſumus, ægrè refellerent. Sophiſma autem tale erat: Chriſtus ſuſcepit corpus noſtro ſimile, noſtrum autem corpus pluribus in locis eôdem momento temporis eſſe non poteſt: nec Chriſti igitur. ac proinde fides noſtra de realis corporis Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento præſentia falſa eſt. Habes illius argumentum eloquentiæ remoto fuco, quaſi veſte detracta. quo poſito maiorem acri ſtudio confirmare cœpit, de qua nemo dubitabat. Quis enim hæretici Marcionis ab Eccleſia condēnatam ſectatur inſaniam, qua Chriſto verum ac naturale corpus, quale noſtrum eſt, detrahebat?

Nol. Cor. &c.

Bezæ hæretici ſophiſma.

Duabus

Duabus autem de cauſſis id ſibi Beza probandum putabat. Primùm vt nos cum Marcione ſentire oſtenderet. Deinde vt auditoribus perſuaderet, ad probandum argumentum ſuum nihil reſtare, niſi vt illam propoſitionem confirmaret, atque ita is ad illam probationem intentus, reliqua incautus præteriret, nec ad ipſius ſyllogiſmi malitiam, qualitatem, formámve reſpiceret.

Beza hæreticus in ſuo ſophiſmate quare quod eſt manifeſtū [...]logius probat.

Quæ cùm ita ſit, multi tamen illum rectè argumentatum eſſe arbitrati ſunt, partim quòd dialecticam neſcirent, partim quòd illius orationem ad dialecticę regulas examinare aut non poſſent, aut nollent. ita facilè capti ſunt, eóque adducti, vt fidem ſuam temerè repudiarent. Illius tamen argumentum planè vitioſum eſt, nec aliud quidquam niſi verũ ſophiſma. Quod qui intelligere volet, is ad dialecticam recurrat, in qua regula quędam eſt generalis, ad quam argumentorum omnium bonitas tamquam ad Lydium lapidem examinanda eſt, ad hunc modum. Ex puris particularibus nihil ſequitur, alioqui ſuper huiuſcemodi propoſitionum fundamento infinitæ abſurditates, falſæque concluſiones exſtrui poſſunt.

Bezæ hæretici ſophiſma ex puris particularibus procedit.

Sophiſta quidam olim eâdem argumentandi ratione, qua hic vſus eſt Beza, Diogeni probabat illum non eſſe hominem. Quod

ego ſum (inquit) tu non es: ego autem homo ſum, tu igitur non es homo. Quæ conſequentia nihil infert, quoniam ex ſolis particularibus profluit. Sed ad huiuſcemodi captiones intelligendas atque vitandas viam quandam commodiorem faciliorem que demonſtrabimus. neque magno opus eſt ſtudio, ſed tantum vt aliæ plures ad hunc modum conſequentiæ fiant; ex quibus ſi falſa quædam & abſurda inferentur, cui dubium erit, quin prima quoque propoſitio, ex qua nihil niſi falſum ſequitur, vitioſa ſit? Exempli cauſſa, ad imitationem Bezæ iam aliqua ponemus, vnde quàm pernicioſi magnique errores elici valeant, poſſit intelligi. In primis Chriſti corpus ex virgine non eſſe natum, probatur hoc modo: Chriſti corpus noſtro corpori ſimile erat; noſtrum autem corpus ex virgine naſci non potuit: igitur nec Chriſti. Habes argumentum Beziano ſimile. Conſequens tamen non modò falſum, ſed etiam hæreticum eſt.

In ſimili forma quòd plures argumentationes ſophiſtica falſa & hæretica ſequantur oſtenditur.

1. ſophiſ.

2. ſophiſ. Accipe alterum. Chriſti corpus noſtro ſimile erat, noſtrum autem ſuper vndas maris ambulare non poteſt: igitur neque Chriſti ambulauit. proinde falſum eſt euangelium, in quo id factum eſſe memoriȩ proditum eſt.

3. ſophiſ. Ioan. 20. Aliud: Chriſti corpus noſtro corpori ſimile fuit; noſtrum autem in aliquam domum ianu

ianuis clauſis ingredi non poteſt: igitur neque Chriſti poſt reſurrectionem ingreſſum eſt. Infinita ſunt alia, ex quibus ad iſtum modum probari poteſt, Dominum neque tranſfiguratum eſſe, neque à mortuis reſurrexiſse, neque in cælos aſcendiſse. Vides amice lector & horum argumẽtorum & iſtorum hominum, qui ea commenti ſimplicioribus quibuſque pro puro Dei verbo obtrudunt impietatem cum inſigni impudentia, nequitia, vanitate coniunctam? quàm multi homines tum fuere Poſſiaci, qui cùm huiuſmodi ſophiſma incauti audiſsent, neque illius impoſtoris ac ſophiſtæ calliditatem ac malitiam intelligerent, ab eo velut ruſticula vnius ſophiſmatis ſubtilitate in retia inducti captique ſunt. quod ſi ad dialecticæ regulas expendatur, quàm vanum ac friuolum ſit, ſtatim apparet.

Ex quo intelligitur, vt eò vnde digreſsa eſt reuertatur oratio, quàm pernicioſum ſit homini in dialecticis minus verſato, cum hæreticis diſputare, eorúmve libellos, quos contra fidei veritatem impiè conſcripſerunt, legere vel audire. Num regem tum adoleſcentulum, num reginam illius matrem, num alios complures vtriuſque ſexus principes, qui ei orationi interfuerunt, de illius argumenti qualitate tum rectè iudicare potuiſse exiſti-

Cum hæreticis diſputare homini parũ in dialectica verſato pernicioſum eſt.

mandum eſt? iure igitur meritoque & ſentimus & dicimus, eum qui inter catholicos & hæreticos iudex futurus eſt, bonis litteris ac diſciplinis maximeque dialecticis inſtructum eſſe debere, quæ ad ſophiſmata, quibus veritas oppugnatur, detegẽda in primis ſunt neceſſariæ. ſiquidem argumenta omnia quibus hæretici fidẽ noſtrã impugnãt, nihil aliud ſunt niſi mera ſophiſmata; quod etiã capitis periculo iis omnibus, qui dialecticis im̃buti ſunt, facilè probare poſſum, & Dei beneficio alibi oſtendam. Igitur Dialecticæ ſcientia in primis neceſſaria eſt; de qua Auguſtinus: Diſputationis inquit diſciplina ad omnia genera in litteris ſanctis penetranda & diſſoluenda plurimum valet. Sophiſtica tamen cauenda eſt, de qua ſcriptura ait: Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt Deo. Cùm ergo fidem noſtram captionibus atque ſophiſmatis aduerſarij oppugnent, nego quemquã dialecticæ imperitum, inter nos & illos idoneum iudicem eſſe poſſe. Huic igitur arti multo tẽpore incumbendum erat, nec vno die auditis huiuſcemodi captioſis argumentis in nos ferenda, immo præcipitanda ſentẽtia. Quod faciunt hæretici ipſi ac ſui fautores.

Auguſtinus lib 2. de doctrina Chriſtiana cap.31

Eccle. 37.

Quare in theologica diſputatione imperitus logicæ ineptus iudex cenſetur

Sed fortè id iam exſpectatur à nobis, vt hoc loco illud Bezæ ſophiſma, & ſi quæ ſunt alia eiuſmodi, ſoluam. Quod vt expediam, pio-

lectori ſatisfaciam, duas illius priores propoſitiones, maiorẽ & minorem, veras eſſe concedo, ſed concluſionem falſam eſſe dico. Neque enim eſt conſequens, propterea quòd nulla vniuerſalis propoſitio antecedat. vt enim eſſet aptum conſequens, argumentandum illi erat hoc modo: Chriſti corpus naturale erat ſimile noſtro; noſtrum autem nulla ratione, virtute, potentia ſimul pluribus in locis poteſt eſſe: igitur neque Chriſti. Hæc concluſio ex antecedentibus certè quidem ſequitur; ſed tamen falſa eſt, quia ex vniuerſali falſa ſequitur: falſum enim eſt, noſtrum corpus nulla ratione, virtute, potentia ſimul pluribus in locis eſſe poſſe, aut ſuper vndas maris ambulare, aut in domũ clauſis ianuis ingredi, aut in cælum aſcendere. Nam corpus noſtrum virtute potentiaque diuina non ſolùm ea quæ diximus, verùm etiam longè maiora efficere poſſet. Cùm igitur ita argumentantur aduerſarij, minor diſtinguenda eſt. Nam cùm dicunt corpus noſtrum ſimul eodemque momento temporis pluribus in locis eſſe non poſſe; ſi de naturali ipſius corporis potẽtia loquuntur, vera; ſi de virtute potentiaque diuina, falſa eſt illorum oratio. diuina namque virtute ea omnia, de quibus antè dicebam, effici poſſunt: Non enim eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Ita

Bezæ hæretici ſophiſmati reſpondetur.

Marc. 16.

Luc. 1.

cùm Chriſti corpus eodem inſtanti pluribus in locis eſſe dicimus, id virtute potentiaque diuina, cui creaturæ omnes obtemperant, non natura aut conditione ipſius corporis effici dicimus. Ad hunc modum iſtorum argumenta ſoluenda, ſic illa ſophiſmata, & ſi quæ ſunt alia eiuſmodi, diluenda ſunt; ex quibus in ſecundo libro multa ſoluemus.

Homines quidã periti hoc Bezæ hæretici ſophiſmate laborauerant.

Vidi homines quoſdam ſanè doctos ac dialecticæ non imperitos, qui in hoc ſophiſmate refellendo valde ſudarent, & quò ſe verterent, non haberent; nec multum aberat quin eius auctoris ſequerentur errores, donec iis latentem illius fallaciam oſtendi. Quamquam enim illi Dialecticam artẽ probè callebant, non tamen in examinandis hæreticorum argumentis eam adhibere cõſueuerant. nos autem ex eo tempore quo iſtorum calliditatem malitiamque cognouimus, in examinandis eorum argumentis ante quàm ea diluamus, Dialecticæ regulas tamquam lydium lapidem adhibere ſoliti ſumus. Quo ex ſtudio eum fructum cepi, vt nullum iſtorum argumentum adhuc viderim, quod non peccaret vel in materia, vel in forma. Atque vtinam omnibus qui id poſſunt, idem eſſet propoſitum; qui verò nõ poſſunt, numquam iſtorum libros in manus ſumerent. Et, quoniam id ferè prætermittitur, tam multi quotidie

Circa hæreticorum argumenta & libros quid faciendum ſit.

tidie ab iſtis capiuntur ac pereunt. tanta eſt ſæculi noſtri calamitas, tanta hominum miſeranda temeritas.

Idem etiam iis vſu venit, quia Rhetoricen neſciunt, ex qua, quibus artibus ac dolis ad ſtultorum ſuorum iudicum capiendos animos aduerſarij abutantur, intelligere poſſent. Exempli cauſſa aliquid ponam. nihil eſt in quo aduerſarij plus elaborent, quàm vt controuerſiæ ſtatus, ſuos illos ſtultos iudices lateat ac fugiat. Rhetores autem præcipuam quæſtionem, ex qua totius cauſſæ definitio pendet, cauſſæ ſtatum nominant. Quem callidi patroni, cùm turpem & iniquam cauſſam defendunt, quantum in iis eſt iudicibus celare conantur. Idem aduerſariis in hac ſacroſancta cauſſa familiare eſt. Vt cùm verbi gratia quæritur, vtrum idololatræ ſumus, propterea quòd in Euchariſtiæ ſacramento Chriſtum adoramus: aduerſarij cauſſæ ſtatum eſſe ſimulant, ſítne idololatria peccatũ. ita vt iudicibus ſuis tenebras offundant, eoſque ſibi credulos teneant, in idolorũ cultum atque cultores pluribus verbis agunt, ac idololatriam, quam nos æquè atque illi deteſtamur, indignum ac nefarium facinus eſſe clamantes, huiuſmodi oratione libros ſuos implent & exornant. aut certè ſtatum eſſe fingent, liceátne buccellam panis adorare, vt

Fraudibus & dolis Rhetorum turpem cauſſam defendentium hæretici vtũtur.

 nos

nos panis adoratores eſſe hac oratione perſuadeant.

Quod quàm malitioſè ab iis fiat, perſpicuum eſt. maximè cùm in hoc auguſtiſſimo ſacramento nos nihil aliud niſi Chriſtum Ieſum, quem iuxta veridicum ipſius verbum adeſſe credimus, adorare ne illi quidem ignorent. alioqui ſi Chriſtum ſub his panis & vini ſpeciebus non adeſſe exiſtimaremus, numquam huic ſacramento tantum reuerentiæ deferremus. Quis enim noſtrum vmquam panem aut vinum ſibi in menſa propoſitum adorauit ac coluit? Ex quo aduerſariorum, qui ita veritatem adulterant mendacioque corrumpunt, iniquitas ac malitia perſpici poteſt. nam ſi candidè ſincereque agerent, cõtrouerſiæ noſtræ ſtatũ dicerent, ſitne idololatria Chriſtum Ieſum adorare; hunc enim ſolum in Euchariſtiæ ſacramento adoramus & colimus. Quod eſſe faciendum nemo fidelium dubitat.

In Euchariſtiæ ſacramẽto quid fideles adorare intẽdunt.

Quæ cùm ita ſint, quantam aduerſarij nobis inferant iniuriam, dũ nos, qui nihil aliud hic niſi Chriſtum Ieſum Dominũ & Deum noſtrum adoramus, idololatriæ accuſant, perſpicuum eſt.

Eadem ſinceritate in nos vtuntur aduerſarij, cùm de cultu & veneratione ſanctorum agendum eſt. Eum enim controuerſiæ ſtatum

tum faciunt, ſit ne idololatria, honorem ſoli Deo debitum, creaturæ tribuere; cùm tamen id in quæſtione verſetur: num ſanctis aliquis honor debeatur. Nam de priore quæſtionis genere nemo noſtrûm cum iis diſputat. neque enim niſi in vnum Deum credimus. *Exod. 20.* talem tamen honorem ſanctis debitum eſſe defendimus, qualem & parentibus debemus lege diuina: & Apoſtolus Paullus bonis ac piis hominibus deferendum eſſe pronunciat: Gloria, inquit, honor & pax operanti bonum. *Rom. 2.* Ita ſi aduerſarij ſimpliciter & ingenuè qui ſit noſtræ controuerſiæ ſtatus oſtenderent, in animis idiotatum atque ſimplicium tantas tempeſtates quæſtionum ſuarum turbinibus non excitarent. Hac enim oratione ad ſuos iudices vti debebant: Pontificij negant quidem honores diuinos ſanctis deferendos, attamen honorem quendam illis deberi contendunt. nos autem nullum illis honorem deberi defendimus. Hic eſt noſtræ controuerſiæ ſtatus, hoc in quæſtione verſatur. Sed tanta eſt iſtorum iniquitas ac malitia, vt & veritatem maximo ſtudio celent atque ex oculis auferant, & ſanctis Deo debitum honorem à nobis deferri confingant, & ſtultis ſuis iudicibus ita eſſe perſuadeant. Et quamquam illud millies negauimus, tamen illi apud ſuos clamare non deſinunt,

Cauſſarum ſtatum ſuis imperitis iudicibus hæretici celant, vt veritatem occultent.

nunc, eum eſſe noſtræ controuerſiæ ſtatum. Iſti ſibi fingunt mõſtra quæ vincant,& errores quos in toto orbe Chriſtiano nemo defendit,maximis viribus oppugnant;Herculeiſq. perfuncti laboribus de errore victo atq. proſtrato triumphos agunt:ſicque fatuorum ſuorum iudicum ruſticitati & imperitiæ illudũt.

De ſcripturæ ſacræ intelligentia quem ſtatum hæretici fingunt.

Quid cũ de intelligentia alicuius loci ſcripturæ agitur, & veterum eccleſiæ magiſtrorum explicationem contra eorum commentaria producimus? tum verò fingent in eo verſari quæſtionem, ſit ne veterum ſententia ſcripturæ diuinæ auctoritati anteponenda. Quo poſito ſe ſcripturæ diuinæ potius quàm vlli homini credere vſq. ad rauim vociferátur. Quis autem noſtrûm vmquam de ſcripturæ auctoritate dubitauit? quis non magis illi detulit, quàm aduerſarij? Non eſt igitur is noſtræ controuerſiæ ſtatus, quem illi ſimulant;ſed quæritur, an illorum explicatio veterum explicationi anteponenda ſit. Ita eam controuerſiam,de qua nemò quęrendum putat, aduerſarij fingunt, vt ſtultos ſuos iudices fallant. Sic in omnibus aliis controuerſiis facere conſueuerunt; atque id in quo diſputationis cardo vertitur,ſollicitè celant: ne ignari eorum iudices illud intelligant, fraudemq́ue perſpiciant. quam qui videre non poſſunt, nihil mirum eſt ſi ita & facilè ab iſtis

capiuntur

capiuntur eiſque aſsentiunt, & eorum cauſſam probantes noſtram temerè improuideq́. condemnant. Quod profectò non facerent, ſi Rhetorica, quæ ars paucis diebus neque tradi neque comprehendi poteſt, imbuti, iſtorum fallaciam doloſque perſpicerent.

Rhetoricæ peritus cauſſæ ſtatum cognoſcens, hæreticorum ſtatum mutantium dolos perſpicit.

Quid iam de theologia dicemus? quantum temporis ante conſumet aliquis, quàm omnes huius ſacroſanctæ diſciplinæ terminos imbiberit? omnem diuinam ſcripturam intellexerit? omnia cùm veterum tum neotericorum commentaria euoluerit? omnes quæſtiones ac difficultates, quæ inter theologos controuertuntur, perdidicerit; vt demũ quis illorum ſacram ſcripturam meliùs interpretatus ſit, propiuſque ad verũ acceſſerit, ſine errore diiudicet? antè triſtis ſenectus obrepet, quàm omnes illæ diſciplinæ, quæ in eccleſiaſtico iudice requiruntur, ediſci comprehendique poſſint. Quis igitur aduerſariorum, qui huiuſmodi officium iudicandi omnibus promiſcuè attribuunt, iniquitaté malitiamque ſatis deteſtetur? quis eorum, quos illi deceperunt, in tantamque dementiam præcipitarunt, vt ſuæ imbecillitatis obliti, ſe huius maximæ grauiſſimæque cauſſæ idoneos iudices eſſe putent, calamitatem miſeriamque ſatis aptè meritoque deploret? Homines imperitos & idiotas, qui nõ rationum,

In theologica controuerſia & cauſſæ quanta deſiderentur.

non argumentorum vim expendere,non captionum aut ſophiſmatum inſidias intelligere, non aduerſariorum calliditatem, qua in huius cauſſæ actione abutuntur, videre; immo verò ne ſuſpicari quidem poſſint, idque vno aut altero die, audita vna tantùm aut altera inimicorum concione, ne ſumpto quidem ad deliberandum opportuno temporis ſpatio,tamquam hic errare tutiſſimum eſſet, neq. periculi partem vllam ſecum error traheret de tam ſublimi diuinaque cauſſa adeò impudenter ac temerè iudicare? O cæcitatē ac ſtultitiā ſingularē! ô mentes Cimmeriis (vt aiunt) tenebris atriores! Antiquaveraq. ſententia eſt: Qui nihil ſcit, de nullo dubitat.

Antiqua ſententia, qui nihil ſcit, de nullo dubitat.

Quæ cùm ita ſint, ſi pro nobis maioribuſque noſtris ab huiuſmodi iudicum ſententia tam celeriter, temerè, leuiter pronunciata appellamus, nemo cui æquitas cordi eſt, nobis id vitio vertet, propterea quòd in tanti ponderis cauſſa plus ad deliberandum temporis ſumendum eſt, antequam de ea iudicetur. Ego verò, etiam ſi aduerſariorum iudices amplius quàm triginta annis in id ſolū incubuiſſent, eos tamen in iudices minimè reciperem; tantum abeſt, vt eos qui vnum diem aut certè vnum mēſem in alicuius hæretici cubiculo vel ſtuduerunt vel cōſumpſerunt, recipiendos putem. Quod ſi illi iudicare

care audent, ab eorum ſententia ad alios doctiores ſapientioreſq́. iudices ſemper appello.

En quartum caput iniquitatis aduerſariorum in hac cauſſa, qui ſuos iudices, arrogantia tumidos, intra tam paucos dies ad ferendam de tanta cauſſa ſententiam impellunt: ex quo temeritatis fonte tantum per orbem terrarum errorum ac impietatis flumen manat & profluit.

QVOD ISTI INEPTI IVDICES ADVERSARIIS VSque adeò ſeſe dedunt, vt ad maiores ſuos condemnandos nullum iam niſi illos audire ſuſtineant.

CAPVT X.

VENIAMVS ad quintum caput iniquitatis iſtorum. Diximus officium iudicis poſtulare in primis ne vtramq. aurem accuſatori tribuat, ſed alteram integram reo ſeruet: id eſt, ne ita ſe ab illo abripi ſinat, vt hunc quoque audiendum eſſe videatur oblitus. Iudex enim, vt ait Architas, haud ſecus atque ara, ad quam omnibus acceſſus pateat, debet eſſe communis. Lex quoq. diuina iudicibus præcipit, vt proximo ſuo iuſtè iudicent. Non conſideres, inquit, perſonam pauperis, nec honores vultũ potentis.

Iudicis officiũ quod poſtulet.

Simile.

Ariſtotel. 3. Rhetor.

Deut. 15.

Ex Le. 19.

Seneca. potentis. Iuſtè iudica proximo tuo. Vnde rectè Seneca: Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet ſtatuerit, iniquus eſt. Noui aduerſariorum iudices, iis auditis aut eorum lectis libellis, ita ab officio diſcedunt, vt noſtri maiorumque noſtrorum immemores aduerſariis ſeſe totos dedant; nec iam aut aliquid, quod in cauſſæ noſtræ apologia adferimus, audire, aut librum aliquem à maioribus aliiſve noſtris doctoribus in fidei noſtræ defenſionẽ ſcriptũ legere dignentur. Quod illi & ſua imprudẽtia adducti, & aduerſariorum, nullum ab illis in hac cauſſa iuris ordinem obſeruari volentium, conſilio impulſi faciunt. hac autem in re grauiſſimè peccant, peſſimeque labuntur, cùm alteram partem nullo modo audiendam putant.

Sapientis & æqui iudicis ad reum qualia verba eſſe debeant. Longè aliter æquus ac ſapiens iudex, cuius ad reum huiuſmodi eſſet oratio. Fiſcalis te talis criminis accuſauit, vide quid illi reſpondeas. cupio ex te ipſo audire quid contrà dicas, quaque ratione te purges. ego certè non minus attentè ac benignè te audiam, quàm tuum aduerſarium audiui. Ita ſanè iſtis faciendum erat, quando in hac cauſſa iudicis partes ſibi ſumpſerant; nec hęreticorum ſententiam atque doctrinam ante probare debebant, quàm de ſingulis argumentis, quibus aduerſarij fidem noſtram oppugnant, ex

aliqu

aliquo catholico doctore quæſiſſent, quid illi videretur, quidve haberet quod in contrariũ adferret. qui ſi eorum iudicio non ſatis feciſſet, ad alium veniendum erat; donec exactè pleneque cognoſcerent, quæ cauſſa ſit, quæ ratio, cur aduerſariorum doctrinæ contraria ſentiamus atque credamus. Vnuſquiſque etenim ita ſecum reputare debebat. Cùm iſtius cauſſæ tanta ſit magnitudo, tanta maieſtas, vt ex ea animæ meæ ſalus pendeat, iſtis hominibus temerè non aſſentiar. ab ipſo enim Deo admoniti ſumus, ante ſæculi finem complures pſeudoprophetas in mundum eſſe venturos, multorumque fidem euerſuros. Fortè ſunt iſti, de quibus Chriſtus admonuit. Quapropter eorum doctrina mihi diligenter examinanda eſt. Quòd ſi ad hoc per me minus idoneus ſum, doctorum theologorum conſilium ſententiamque requiram. Sic iſtis faciendum fuit, ſi ſuæ ſalutis rationem habere voluiſſent.

Ab hæreticis falſa dogmata audientes, quam diligẽtiam adhibere teneantur.

Matth. 7.

Sed longè aliter illi agendum putarunt, ex quo & ſumma eorum in nos iniquitas apparet, & animarum ſuarum prodita ſalute, in tantam errorum voraginem delabuntur, propterea quòd fidem ſuam adeò iniquè imprudenterque condemnant, vt nihil miſerius dici poſſit, nihil ſtultius cogitari. Sed fortè dicent ſibi cauſſæ noſtræ veritatem ex aduerſariorum

Iniquorum iudicum iniuſta excuſatio confunditur.

riorum oratione ſatis eſſe perſpectam, nec iam opus eſſe vt nos audiant. Nimirum illud eſt, quod de vobis cum maximo dolore animi iure conquerimur, vos ab aduerſariis ita imbutos atque perſuaſos, vt niſi eos iam audiẽdum putetis neminem. Quos cùm tãti faciatis, quid mirum ſi vobis iudicibus ij cauſſa cadere non poſſunt? Sed aduerſarij veſtri, dicetis, vt ita faciamus, nobis auctores ſunt, vt par pari vobis referant. Cùm enim in veſtro grege eſſemus, ne quiſquam ex nobis illorum aut concionibus intereſſet, aut libros legeret, interdicebatis. Fateor, ſed hæc longè diuerſa ſunt. Nam ante iſtorum aduentum de fidei noſtræ veritate nemo dubitabat. trãſierat in rẽ iudicatam. Iam victrix fides noſtra catholica, errorum omnium, quos aduerſarij ſtudioſè defendunt, monſtris domitis ac profligatis, totum orbem Chriſtianum ſuo ſubiugarat imperio, & vbique nullo repugnante regnabat; cùm iſti ſubitò exorti ſunt, qui illam ex antiqua poſſeſſione, in qua non modò tot annis, ſed etiam tot ſæculis præſcripſerat, vt de eius iure nullus ambigẽdi relinqueretur locus, cùm bonorum omnium, qui in eccleſia Chriſtiana annis 1500. & amplius ſummis laudibus floruerũt, communi perpetuoq́ue conſenſu id illi adiudicatum eſſet, deturbare conantur.

Hæretici fidẽ catholicam ex ſua antiqua poſſeſſione deturbare conantur.

Sed l

Sed quoniam iſti ius ſuum fidei eripere moliuntur, aliamque neſcio quam, niſi fortè perfidiam in illius antiquam poſſeſſionem inducere geſtiunt, æquitas ipſa hoc à nobis poſtulat, vt antequam iſtam alienis bonis pacificè frui patiamur, quid illa iuris haberet, intelligamus. Nam cùm tanti viri pro illa iudicauerint, eamque damnatis omnibus inimicis ſententia ſua atque decreto in tali poſſeſſione collocauerint, non eſt de ipſius iure ambigẽdi locus, quod iudici diligẽter inſpiciendum eſt, videndaque inſtrumenta omnia, litteræ, contractus, ſententiæ, quas pro ſe illa producit antequam ſua poſſeſſione moueatur atque priuetur. in primiſque curandum eſt, ne ex iis, de quibus litigatur, aliquid lite pendente mutetur. Multũ igitur inter iſtorũ & noſtram cauſſam intereſt. Ad hæc etiam illud adiicio, hanc nobis iuſtiſſimam viſam eſſe cauſſam, cur eis interdicendum putaremus, ne aduerſariorum libros audirent & legerẽt; quòd &, quemadmodum ſuperiùs expoſuimus, eos ad iudicandum de hac cauſſa ineptos eſſe intelligebamus, & ne aduerſariorum dolis fraudibuſque irretiti caperentur, quod magno cum noſtro dolore, eorumque certa pernicie factum videmus, magnopere verebamur.

Hæreticorum libri quare interdicũtur, præſertim rudibus.

Sed quoniam in præſentia ab iis impetrare non

re non poſſumus, quin aduerſariorum ſecuti conſilium, huius cauſſæ iudices eſſe velint; quid ab iis minus aut leuius peti poteſt, quàm vt pro ſua æquitate non minus beneuolè & attentè nos fidei noſtræ patrocinium aggreſſos, eamque propugnantes audiant, quàm impugnantes aduerſarios audierunt? nam audita tantùm altera parte ferre ſententiam, in iudice graue crimen eſt. Quòd ſi ſe fidem noſtram antequam hæreticorum libros legerent, totam intellexiſſe contendunt, quemadmodum ego quendam adoleſcentem nobilem coram multis gloriantem audiui, ſe ante duodecimum ætatis ſuæ annum totam fidem intellectu comprehendiſſe; id verò falſum eſſe dico. nam fidei articulos, quibus ab ineunte ætate imbuti erant, vt crederent, ſcire poterant, intelligere non poterãt. Nam ſi eos intellexiſſent, numquam maiorum ſuorum fidem aut repudiaſſent, aut tamquam inanem falſamque damnaſſent.

Iudicem alte-ra tantũ par-te audita ferre ſententiam iniquum eſt.

Multum autem intereſt inter credere & intelligere. prius eſt credere, quod omnes debent; alterũ intelligere, quod fidem ſequitur. Credere intelligentiæ ianua eſt. nam, vt ait propheta, niſi credideritis, non intelligetis. Sed intelligere fidem, eſt ſcire omnem illius conformitatem ad ſacram ſcripturam; omni petenti de ea rationem poſſe reddere; omnem

Credere & intelligere, differre oſtenditur.

Eſa. 7.

Fidem intelligere quid ſit.

omnem difficultatem, quæ circa eam oriri poteſt, ſcire diſſoluere; omnia argumenta, quę fidei obiici queant, poſſe refellere.

Quæ facultas ſanè paucorum eſt. Antè ferulæ ſubdenda manus, antè in theologorũ ſcholis multo tempore ſudandum, antè multorum euoluendi libri, vt aliquis Dei beneficio in ſolidum atque abſolutum theologum euadat. Quæ profectò rara auis eſt, neque ſcio vbi nidus eius reperiatur. Et ſanè aduerſariorũ noui iudices, quidquid inter ſuos garriant, quæ eſſet ſua noſtraq. fides, quã improuidè repudiarũt; quæ illius ratio, nũquam intellexerũt. Quid enim eorũ venatores? quid milites? quid alij adoleſcentuli nobiles, quos in naſſam ſuam illi traxerunt? An, cùm in noſtris caſtris erant, multum, vt fidem ſuam intelligerent, elaborarunt? minimè. nam ſi propiùs aſpicias, eos aut numquam omnino, aut certè perrarò aliquid, quod ad fidei declarationem pertineret, legere vel audire voluiſſe reperies. ſacris cõcionibus aut numquam intererant, aut ſi aliquãdo vel iis vel miſſæ ſacrificio intereſſent, deerat illis amor fidei ſuę, & ita peregrinabatur affectus. Quid in concionibus, quibus nonnumquam intererant inuiti, nónne tum aut cum mulierculis loquebantur, aut cum ſociis fabulabantur? aut hactenus intenti erant, vt explorarent,

Fidem nouã aduerſariorũ iudices non intelligebant.

num cócionatori aliquod verbum excideret, quod cùm illi pòſt inter ſuos recitarent, eos ad riſum & cachinnos prouocarent? Sed id credo rarius: nam ne verbum Dei ac fidei noſtræ veritatem audirent, in ganeis & popinulis ſæpius deliteſcebant. Quæ cùm ita ſint, quando hanc iſti vmquam diſcere aut intelligere potuerunt?

Quibus ſtudiis noui hæreticorum iudices operam dederint.

Illi verò qui humanæ eruditionis ſcientia turgent, tantoſq̃. ſpiritus præ ſe ferunt, quando fidei noſtræ operam dederunt? nónne eorum omne ſtudium in Terentio vel Ouidio de arte amandi, vel eiuſdẽ fariñæ alio quouis auctore gentili conſumebatur? quid aliud in ſcholis audiebant? quid legebant? Quid de concionibus dicam? quibus ſi nonnumquã intereſſe cogebantur, aut vt erant nimium religioſi ac pij, ſi aliquando ad eas vltrò veniſſent, tum verò omnia riſu & ineptiis perſtrepebant. ita fide imbuti & armati ex ſchola Lutetiã mittebãtur. Quid illic aliud eorum manibus niſi gentilium libri terebantur? De ſacris concionibus ne mentio quidem vlla, niſi fortè eas in ſphæriſteriis, aut popinis, aut pratis, àut theatro inter gladiatorum certamina audirent. Tanto in fidem deuotionis ardore inflammati erant, tanto eius amore flagrabant.

Hæretici ſuis affectibus ſi-

Quæ cùm ab iis ita fierẽt, nónne ipſo vitæ genere

genere ſe & noſtræ fidei, quam vſque adeò contemnebant, nauſea ac faſtidio laborare, & aliam quandam religionem ac fidem, quæ illorum affectibus reſponderet, quærere declarabant? Et quando igitur iſti operam intelligendæ fidei dederunt? hoc ego certè diuinare non poſſum. An fortè Deum præclaris facinoribus obligarunt, vt iis tamquam benemeritis fidei cognitionem rependeret? minimè verò. quid igitur? Nimirum illud (audacter enim dicam quod verum eſſe ſentio) illud inquam, quod Paullus Apoſtolus, cùm ageret de iis, qui circa mundi finem lapſuri, fidemque deſerturi ſunt, ait, iſtis vſu venit. Eò quòd charitatem veritatis, inquit, non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.

dem reſpondẽtẽ quærebant.

2.Theſ.2.

Quod huiuſmodi adoleſcentibus ferè videmus accidere, qui cùm fidei ſuæ veritatem nullo proſequerentur affectu, nullo illius amore aut deuotione flagrarent (quod non ſolùm ex eo deſiderio, quo vſqueadeò ſtudioſè blaſphemias, conuiciaque in eam dicta vel ſcripta & audire & legere geſtiebant, verùm etiam quod iis curæ non erat, quid ipſis audientibus in eorum fidem hæretici pro con-

cione dicerent, perſpicuũ eſt, permiſit Deus, vt in hæreticorum errores inciderent, eoſque pro veritate cupidè amplecterentur ac reciperent: atque ita tam iſti, quàm eorum impoſtores iuſtam Dei iram & condénationem in nouiſſimi iudicij tempus exſpectent.

Hæretici eorumq; diſcipuli Dei irã timeant.

Hoc ſanè modo iſtis vſu venit, vt antequã fidei noſtræ diſcerent atque intelligerent veritatem, cæcos hæreticorum errores imbiberent. Nam ſimulatq. auratos aduerſariorum libellos in manus ſumpſerunt, in quibus doctrinæ genus ſuis affectibus conſonum, ſuæq. impietati & illi, quam maximè cupiebant, libertati, quæ illorum aures blanda titillatione permulcens, incautos in dulcem voluptatum ſomnum induceret, conueniens deprehenderunt; omnem aliam doctrinam repudiantes, de maiorum ſuorum fide, quæ nimis auſtera & inſanis adoleſcentiæ libidinibus ac vanis cupiditatibus inimica videbatur, ne audire quidem deinceps paſſi ſunt. Quibus illud congruit, quod diuus Paullus Timotheo ſcribit dicens: Erit enim tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Sed contrà eo amoris affectu hãc, quã limatiſſimo illo priuato iudicio ſuo cõprobarant,

Hæreticorum libros ſuis affectibus ſanẽtes adoleſcentes gaudenter receperunt.

2. Timoth. 4

barant, doctrinam amplexi ſunt; vt tanto ſtudio, opera, diligentia in eam propagandam totoque orbe terrarum diſſeminandam incumberent, quanto illam antiquam maiorum religionem ac fidem, quæ ab iis poſtulabat, hinc vt libidinum illecebris abdicatis, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigerent, inde vt auſteriori vitæ generi incumbentes, ieiuniis vacarent, precibus dies ducerent, aliiſque pœnitentiæ operibus operam darent, quę iſti iam pridem faſtidiebant ac aſpernabantur, ſemel improbauerant atque damnauerant.

Sed quoniam aliquanto iam tēpore cum iſta noua religione illis amica cōſuetudinem habuerunt, ſuæque libidini & voluptati ſatiſfecerunt; ab iis nunc peto, ne prioris ſponſæ, quam iniuria reliquerunt, rationes dedignentur audire, vt pòſt iudicare poſſint, vtra illis vtilior ac ſalubrior ſit. nec mihi dubium eſt, ſi illius pudorem, integritatem, verecundiamque perſpexiſſent, quin aliam quamcumque pellicem promptè deſererent, vt ad illius prioris ſponſæ, nimirum incorruptæ ſanctorum patrum fidei, caſtos reuerterentur amplexus. Quod ſi in præſentia ab iis obtineri non poteſt, illud ſaltem, quoniam iudicis partes ſibi vendicant, ab illis peto, vt æquitatis in hac cauſſa aliquam rationem habentes,

Fidei catholica pudor, integritas et veritas ad ſuos amplexus inuitat.

poſtquam illius amplexus experti ſunt, hanc quoque audire & noſſe dignentur. nam ſi nobis adeò obſtinato animo reluctantur, vt neque nos audiendos, neque noſtræ cauſſæ bonitatem, noſtrumque ius ſibi intelligendum putent, ab illorum iniqua ſententia appello. Aduerſariorum enim conſilio freti, fidem noſtram, quam neque vmquam intelligendam duxerãt, temerè improbarunt atque damnarunt. Tanta eſt iſtorum in nos iniquitas, tanta iniuria.

DE ADVERSARIORVM STVDIO, QVO TOTIS VIRIBVS *elaborant, vt in eos qui maiorum ſuorum fidem defendunt, iudices ſuos falſos incitent & inflamment, & de illorum iudicum impia temeritate, qua omnis æquitatis ac rationis immemores, ſeſe contra veritatis patronos in implacabile odium abripi ſuſtinent.*

CAPVT XI.

SEQVITVR vt videamus, quomodo ſextam rectè iudicandi regulam, quam ſuprà poſuimus, iſti obſeruauerint. Dicebamus iudici videndum eſſe, ne alterius partis accuſatione ſeſe ad iram alteriúſve partis odium abripi ſineret; hi enim af-

fectus rectum animi iudicium mirabiliter impediunt. Conſilio maximè, inquit Bias, cōtraria ſunt feſtinantia & ira, quæ hominem extra ſe rapiens & abducens, omnis ſani cōſilij vacuum inanemq́. reddit. Vnde &, iuxta Catonis ſententiam, impedit ira animum, ne poſſit cernere verum. Et quemadmodum, vt Ariſtoteles ait, fumus oculos lædit atque officit, ne ea quæ ante pedes ſunt, homo videre poſſit: ita ira mente concepta tantam rationi noſtræ caliginem offundit, vt nulla cogitatione noſtrum intelligamus errorem. Philoſophorum quorundam æquitatem animiq́ue moderationem iure miratur antiquitas, qui cùm irati eſſent, ne de ſeruis quidem ſuis ſupplicium ſumere ſuſtinebant.

Diogenes Laertius.

Stobæus ſer. 18.

Simile.

Ira rationis vſum impedit.

Valer. Maxi. lib. 4. cap. 1.

Platonis ſententia eſt, iracundos homines non eſſe reipublicæ gubernaculis admouendos, maximè cùm aliqua de cauſſa iudicandum eſt. nam ſi iudex in alterutram partem ira mouetur, rectè iudicare nullo modo poteſt. Præclarè Ariſtides arbiter inter duos delectus, cū alter, vt ipſum in aduerſariū magis ac magis afficeret, extra cauſſam pleraq. illius in Ariſtidem maledicta recenſeret; hæc miſſa faciamus, ait; tu verò bone vir, ſi quid in te commiſit, explica: quoniam in præſentia tibi non mihi iudicium exerceo. Quibus verbis iudices admonebat, ne quem vtriuſq. partis

Platonis ſententia de iudicibus eligēdis.

Plutarch. in Ariſtide.

extra cauſſam aliquid in aduerſarium dicere ſuſtinerent, quod illum in inuidiam aut in odium poſſit adducere. Quod cùm in omni cauſſa, tum in hac maximè cauendum eſt, ne in animum iudicis aliquis obrepat affectus, qui illius iudicium conturbet atque peruertat. Nihil autem fuit in quo aduerſarij ab huius cauſſæ exordio ſibi tam ſtudioſè elaborãdum putarent, quàm vt in ſummum noſtri odium ſuorum iudicũ animos incenderent. Quod vt efficerent, omnem lapidem adeò diligenter ſolliciteque mouerunt, nihil vt in hoc genere adhuc prætermiſerint. Ita relicta quæſtione, in qua controuerſiæ noſtræ cardo vertitur, innumerabiles inuectiuas mẽdaciis, ironiis, ſarcaſmis, maledictis aliiſque ſexcentis eius generis criminibus, quæcumque immanis impietas excogitare potuit, refertiſſimas, in nos ſcriptas ediderunt; vt dum & iis legendis ſuorum iudicum ingenia occupantur, & iſti in Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, Presbyterorum, Monachorum, denique Eccleſiaſticorum omnium vitam inquirunt, non ſolùm huius controuerſiæ ſtatum obliuiſcerentur, verùm etiam in illos, quos iſti ſuis coloribus pingere videbantur, exitiale quoddam odium mẽte conciperent, quo cæcati, in hac tota cauſſa verum videre non poſſent.

A iudicis animo iram et odium remoueri oportet.

Hæretici in eccleſiaſticorũ odium ſuos iudices commouere ſtudebãt.

Quid

Quid igitur iſti ſapientiſſimi iudices? an aduerſariorum inſidias technaſque ſenſerūt? an eorum calliditatem ac malitiam intellexerunt? nihil profectò minus. Itaq. impium eorum ac nefarium ſecuti cōſilium, cauſſam ipſam, de qua agitur, miſſam faciunt, vt quid pontifex agat, quid reges moliantur, quibus ſtudiis Epiſcopi aut monachi incumbant, iudicis auctoritate cognoſcant. Inter hæc igitur, num doctrinæ noſtræ ratio ac veritas, quæ non ex hominū inſtitutis aut moribus, ſed ex ipſo Dei verbo pendet, aliquando iſtis in mētem venit? minimè verò. neque enim id agitur. ſed de ſocco vel crepida Pontificis diſputatur, de qua, & magis quàm de animarū ſuarum ſalute videntur eſſe ſolliciti, & plura quàm de aliis rebus neceſſariis verba conſumunt. Quam oſculari ſitne idololatria, tam longis orationibus diſputant, vt quicumque ſanus eos audit, inſanos eſſe; elleboroque indigere non dubitet: attamen, ne nihil dixiſſe videantur ſapiētiſſimi ſcilicet theologi, huic ſocco oſculum figere, idololatriæ crimen eſſe pronunciant. Ita ſumpta cenſoria virgula, reges omnes ac monarchas, qui hunc ſoccum oſculati ſunt, idololatras; ſummum autem Pontificem illorum idolum fuiſſe definiunt: proinde eorum iudicio nihil ſine idololatriæ crimine poſſumus oſculari.

In aliorum vita examinanda hæretici incūbunt.

Reuerentiam ſummo pontifici exhibitã in pedis oſculo idololatriã non eſſe, cõtra impios hæreticos oſtenditur.

Quid deinceps facient ij, qui cercopithecos oſculari ſolent, cùm tantorum theologorum iudicio idololatriæ condẽnentur? quid Hiſpani, qui dominorum manus oſculari cõſueuerunt? quid Gallicana nobilitas, cui moris eſt propinquas quaſque & affines oſculo ſalutare? Quid coniugati, niſi baſiis abſtineant? Sed fortè dicturi ſunt, idololatriam eſſe, oſculari alicuius hominis pedes, os aut manus non item. Quam autem rationem adferent, cur hoc humani corporis membrum oſculari idololatriæ crimen ſit, illud minimè? An non omnia eiuſdem materiæ ſunt? quibus autem argumentis aut ſcripturæ teſtimoniis probant, hominis pedem aut ſoccum oſculari, potius eſſe idololatriam, quàm ſi quis epiſtolam, aut ſertum, aut eius generis aliquod munuſculum ab amico oblatũ labris admoueat? Idololatria, quemadmodum & reliqua peccata, ex corde proficiſcitur: oſculum autem alicui rei figere, non eſt argumentum ſatis firmum, vt mentẽ idololatrię deditã eſſe demonſtret. Quis igitur huius nouæ theologiæ decreta non admiretur?

Idololatria ex corde naſcitur.

Sed ad rem veniamus. Oſcula ergo iſta, quæ tanta cum iſtorum offenſione ſummi pontificis pedibus religioſè figuntur, nihil aliud ſibi volunt, niſi vt ex iis ſummum ac maximum Dei in nos beneficium, quo eandem,

dem,quam ipſe obtinet, peccata remittendi poteſtatem penes illum reliquit, quem dominus ſuæ Eccleſiæque ſanctæ gubernatorem inſtituit, humiliter intelligatur. De qua humilitate pedúmque oſculo multis antè ſæculis Eſaias propheta vaticinatus eſt,id honoris eccleſiæ in eius præcipuo membro deferendum, cùm imperatorum , regum , ac tyrannorum, qui amplius quàm trecentis annis Eccleſiam perſecuti fuerant, illiuſq. pontifices ac ſummos paſtores crudeliſſimè trucidauerant , poſteri in eôdem dignitatis culmine conſtituti , pedum eius veſtigia adorarent. Sed ipſius prophetæ verba ponẽda ſunt. Et venient ad te,inquit, curui filij eorum,qui te humiliauerũt, & adorabunt veſtigia pedũ tuorum, omnes qui detrahebant tibi,& quæ ſequuntur. Et ſicut Magdalena Chriſti pedibus oſcula reuerenter humiliterque imprimebat ; ſic & catholici Chriſti vicariũ ipſius pedis oſculo humiliter reuereri cõſueuerunt: & vtinam ad eius pedes obuoluti ex vero cordis affectu lacrymas funderemus, ſicut ipſa ad Chriſti pedes fecit.

In pedis ſummi pontificis oſculo quid proteſtemur.

Eſa. 60.

Luc. 7.

Quid igitur de eccleſiæ maieſtate & gloria manifeſtius dici potuit ? quæ autem ſunt pedum eccleſię veſtigia ab ipſis regibus adoranda , niſi ſandalia pontificis præcipui eccleſiæ membri , quæ poſt dulcem illam Euangelij

victoriam ac triumphum, regum & imperatorum, qui antè non ſolùm complures Chriſtianos, ſed etiam omnes ſummos Eccleſiæ pontifices crudeliſſimè occiderant, filij ac poſteri poſito diademate humiliter oſculantur; eoque humilitatis officio Chriſti & regnum victoris, & victoriam regnantis agnoſcunt? Cuius hac in re vehementer elucet ſumma illa & diuina victoria, qui ſuperbiſſimorum regum ac tyrannorum ſublimitatem adeò fidei ſuæ humilitate deiecit, vt ij iam poſito diademate, ad pedes piſcatoris oſculandos ſeſe inclinare non dubitent. Quis vmquam alius, niſi ipſe Deus, regum ac principum huius ſæculi ſpiritus, illumque ſuperbiſſimum faſtum vſque adeò deiicere ac humiliare potuiſſet? Qua de re exſtat memorabilis beati Auguſtini ſententia: Nunc videtis, inquit, ipſas huius ſæculi poteſtates, quæ aliquando pro ſimulacris populum Chriſtianum perſequebantur, victas & domitas, non à repugnãtibus, ſed à morientibus Chriſtianis, & cõtra eadem ſimulacra, pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſuos legeſque vertiſſe, & imperij nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulcrum piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare. Præclara ſanè & Chriſtianorum ſanguine parta victoria; qua ipſos ſæculi principes ſub iugo legis Chriſti adeò humi-

Chriſti victoria in ſummi Pontificis pedis oſculo qualiter eluceat.

Epiſt. 41.

Chriſti legis iugo ſæculi principes qualiter humiliantur.

humiliatos videamus,vt ad ſepulcrum piſcatoris ſupplicent; & non ſolùm ipſius oſſa cineréſque venerentur, ſed etiam ſucceſſorum eius pedes ac ſandalia exoſculentur. An humanis viribus & armis exiſtimabimus tãtam vmquam parari potuiſſe victoriam?

Sed iſtis acutiſſimis numquam in mẽtem venit,quàm admirabilia ſunt ea, quæ in mũdi conuerſione, cùm is victus & domitus Chriſti legem ſponte complexus eſt, Deus edidit. Quæ quoties mihi verſabuntur ante oculos,non mirabor leproſos repentè mundatos,non cæcos ſubitò illuminatos,nõ mortuos excitatos: maior & clarior (meo quidem iudicio) eſt huius miraculi gloria, cùm ad fidei noſtræ confirmationem ferocem imperatorum ſublimitatem, ac ſuperbam regum potentiam Deus ita fregit ac domuit, vt illos ad ſeruorum ſuorum ac ouilis ſui paſtorum pedes abiecerit, eorumque ſandalia religioſo oſculo venerari voluerit. Quod eò magis me in fidei veritate confirmat, cùm multis ſæculis,video eſſe prædictum,& prophetiæ fidem ipſe rei exitus docet. De qua præclara Eccleſiæ inclytaque victoria Eſaias alibi multo antè vaticinatus eſt,dicens: Et erunt reges nutricij tui,& reginę nutrices tuę: vultu in terra demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Quod in nulla alia niſi in Romana

Matth. 11.

Eccleſiæ victoria.

Eſa. 49.

Romana eccleſia videmus impletum, cuius ſummo pontifici id obſequij deferri ſolet: quod cùm à prophetis video eſſe prædictum, & in hac eccleſia clariſſimè exhibitum, me in illius eccleſiæ fide magis magiſque confirmat ac retinet.

Hoc autem ſandalij oſculum, quod iſtos miſeros ac deceptos tãtopere offendit,& mihi & ceteris omnibus, qui admiranda opera, quæ Deus potentiſſimos illos monarchas ad fidei ſuæ ouile adducens, eoſque paſtorum ſuorum obediẽtiæ ſubiugans,edidit,cõtemplari ſcient, plurimum confert. In hoc igitur ſublimia diuinitatis facta mirabor.

Roma potentiſſima Chriſti vicario ſe ſubdidit.

Alterum eſt admiratione digniſſimum, hoc loco minimè prætereundum. Vrbs illa quondam totius orbis potentiſſima, quæ dominatu regio liberata, adeò regium nomen horrebat, vt neque vlli Regi colla ſubmitteret, neque in ea quiſquam regium nomen aſſumere auderet, nónne ſeſe piſcatori, & crucifixi ſeruo ex egentiſſimis totius orbis mendicantibus nonnumquam aſſumpto & electo, ſua ſponte ſubiecit. tantum autem abeſt, vt illam vrbem huius ſeruitutis pudeat, vt hinc vel maximè glorietur. Quod & ab Euangelico propheta videmus eſſe prędictum: Ciuitatem ſublimem (inquit) humiliabit, & conculcabit eam pes pauperis, *Iſa.26.*

greſſus

greſſus egenorum. Quod in noſtris ſummis pontificibus, qui in illa quondam ſuperbiſſima vrbe Roma, mundi principe, vſque in hodiernum diem dominantur & regnant, perſpicuè monſtratur impletum. Quid hoc miraculo clarius? quid illuſtrius? illam vrbem quæ olim nullis armis, nulla vi capi, nullum ſeruitutis iugum pati poterat, nunc ſine vi, ſine armis, ab iis qui mortem potentiſſimè ſuſtinerent, ita captam ac domitam eſſe, vt ſub ſeruis Chriſti iugum ſeruitutis ſibi pateretur imponi? Quid? quod Auguſtini quoq. ſæculo, quemadmodum ille dicit, ſedenti in cathedra Petri totus orbis Chriſtianus in tranſmarinis & longè remotis terris ſubiectus erat.

Harum igitur rerum contemplatione cõfirmor in fide, iſti verò, qui offenduntur, & ſuo malo ſcandalizantur, viderint. Certè tam glorioſa Eccleſiæ victoria non niſi à Deo profecta eſt. ille ſolus regum potentiam vſq. adeò deiicere potuit, vt ſeruorum eius & oſculari ſandalia, & pedum puluerem lingere dignarentur. Neq. enim ipſius ſummi pontificis perſonæ defertur tanta reuerentia, in quantum homo eſt, ſed quoniam vicarius Chriſti & ſeruus eſt. Quod hinc manifeſtè perſpici poteſt. nam antequam ad eam cathedram aſcendit, nemo illi hunc honorem

Regum potentiam deiicere Deus ſolus potuit.

R exhibet,

exhibet. Vbi verò iam ſummus pōtifex creatus eſt, omnes Chriſtiani & pij continuò illi vſque ad pedum oſcula humiliantur, in eoq́ue Chriſtum, cuius is vices gerit, religioſo venerátur officio. Quæ ratio maiores noſtros profectò non latuit.

Sed quoniam aduerſariorum prætenſi iudices oculos odij, quod illis auctoribus in ſummum pontificem conceperunt, caligine ac tenebris offuderunt, eam videre non poſſunt. Et ſanè illo odio ita iſtorum iudicia cæcantur, ratioq́. peruertitur, vt quidquid pontifex agat aut patiatur, aut habeat, aut dicat, id totum ab iſtis in deteriorē partē capiatur.

Chriſtianorū regum quanta virtus & humilitas ſit.

Chriſtianorum autem regum clara & illuſtris eſt virtus humilitas, in ceteris regibus planè rariſſima. Illi dum ita animis ſuis imperant, vt coram Deo ſeſe demittere non contenti, etiam Dei ſeruis vſq. adeò colla ſubmittant, vt non ſolùm eorum pedes, ſed etiam ipſa ſandalia religioſè oſculentur; atque hoc pietatis officio & illos honore afficiant, vt ſuam obedientiam ſubiectionemq́ue ſignificent. Quod quanto in religioſis piiſq́. principibus maioris eſt meriti, tanto iſtorum, qui illos idololatras vocant, impudentia & temeritas clariùs faciliuſq́ue perſpicitur. Sed minimè mirum, ſi pulcherrimum illorum Principum facinus, quod maiorum ſuorum exempla pieta-

pietatemque ſecuti, edere conſueuerunt, iſti hæreticorum canes lacerant.

Imperatorum, & regum Chriſtianorum ſæculi noſtri patientiam mirari ſoleo, qui cur tam impudens Eccleſię deſertorum, tantumque conuicium diſſimulent, vt ab iis ſe idolorum cultores dici ſuſtineant, neſcio. Certè pontifices, ſi à piis principibus huiuſmodi obſequium & honorem delatum recuſarent, magnam iis meo quidem iudicio iniuriam inferrent, cùm illis & tanti meriti & exercendæ virtutis atque humilitatis occaſionem auferrent. Ad hæc ne prophetarum vaticinia implerentur impedimento eſſent, quæ & de tali regum humilitate ſub Chriſti regno futura multo antè prædicta ſunt, & velint nolint hæretici, impleri neceſſe eſt.

Pōtifex ſummum obſequiū & honorem ſibi à regibus delatum quare recuſare non debet.

Quo autem animo eum honorem ſibi pontifices deferri ſuſtineant, non ante iudicabo quàm Deus me καρδιογνώστην, id eſt, cordis & intimæ voluntatis inſpectorem eſſe voluerit. Quòd ſi quis eò impudentiæ audacięq. proceſſerit, vt ſumpta cenſoria virgula inanem gloriā & arrogantiam, cur illud honoris ſibi pontifices deferri ſuſtineāt, in cauſſa eſſe definiat: huic fidem habere nō debeo, tamquam ei qui de alterius animo atque intima voluntate, quam non videt, temerè ſtulteque pronunciat. καρδιογνώστην eſſe, ac cor-

Hiere. 17. dium ſecreta perſpicere ſolius Dei officium eſt, qui per prophetam ait: Altum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes; qui do vnicuique iuxta viam ſuam. & quæ ſequuntur. Ego verò ſemper illud in meliorē partem accipiam, donec mihi aliter ſe habere conſtiterit. At quocumque tandem modo aduerſarij interpretentur, iſta tamen tanta regum humiliatio, tanta demiſſio, magnum certè & illuſtre miraculum eſt. Quòd ſi quis ab hinc 1400. annis, cùm imperatores Romani & alij huius ſæculi reges, propter fidei Chriſti confeſſionem, ſummos pontifices crudeliſſimè occiderēt, dixiſſet, fore vt eorū filij, poſteri, heredes tantum illorum ſucceſſoribus honorem ſponte deferrent: quod iam factum videmus, quando hoc mundus in animum induxiſſet? Sed digitus Dei hic eſt, Exod. 8. toto obſtupeſcente mundo rem tantam virtus diuina perfecit, vt iam cum propheta libeat exclamare: A Domino factum eſt iſtud, Pſal. 117. & eſt mirabile in oculis noſtris.

Sed iſtorum in ſua mirabili eruditione atque doctrina tumidi ſpiritus, & noſtri noui iudices, tam anguſto iudicio præditi ſunt, vt hac in re mirabile opus Dei videre non poſſint. adeò ſiquidem circa pedes crepidamq. pontificis ſua ingenia depreſſerunt, vt ea ad

tam ſublimium cæleſtiumque rerum conté-
plationem eleuare non valeant. aut certè, iuxta prouerbium, ne ſutor vltra crepidam, in iſta crepida ſibi hærendum, nec vlterius aliquid quærendum putant, niſi fortè quod vero ſimilius eſt, ira & liuore cæcati, veritatis lumen aſpicere nequeunt. O quantam in eorum animis caliginem, quantas tenebras, quantam rerum omnium confuſionem odiũ illud, quod in pontificem conceperunt, peperit & inuexit! quem ita iſti reſpiciunt, non iuxta eum dignitatis gradum, quẽ ſub Chriſto obtinet, ſed quaſi ſcurra omnium perditiſſimus eſſet. Sed quanto magis ſtulta iſtorũ & immanis impietas Pontificem deprimere conatur, tantò magis Chriſtianorum principum, qui non ſolum regi regum, verũ etiam eius ſeruis ob diuinitatis amorem ſeſe vſque adeò humiliare non dubitant, pietas virtuſq. laudanda eſt. Diceret ſuperbus aliquis princeps: Tibi quidem Domino & Deo meo humiliter me libenterque ſubmitto, ſed ſeruis tuis minimè: turpe id mihi eſſet, moríque ſatius eſt. Aliter Chriſtiani & catholici reges, qui non ſolùm Deo, verumetiam ſeruorum eius minimo colla ſubmittunt, ſummamque reuerentiam deferunt, verborum Chriſti nõ immemores, quibus in nouiſſimo iudicij die, quidquid ſeruis ſuis factum erit, tamquam

Hæretici odio obcæcati veritatis lumen aſpicere nequeunt.

ſibi ipſi factum eſſet, accepturum eſſe promiſit. Quod vni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Et alibi: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. Agitè igitur ô catholici principes, maiorum veſtrorum veſtigiis, humilitati, moderationi inſiſtite; nec pudeat humiliari corá eo, in quem collatum honorem Chriſtus Ieſus, perinde ac ſi in illum conferretur, approbabit. Magnum quidem eſt veſtrum meritum, ſed certum præmium vobis ſine vlla dubitatione reddetur. Ne igitur ab opere & humilitate tá ſalutari vos aut hæreticorum nugæ, aut impiorum garrulitas reuocet. Rectè Paullus Apoſtolus in nouiſſimo tempore homines ſuperbos, arrogátes, parétibus inobediétes, exorituros eſſe prædixit. Et Petrus ſuis eos coloribus pingés, ſcitè admonuit, eos dominationé ſpreturos. Nihil verius dici potuit, nec huiuſcemodi glorioſorú hominum magnus numerus hoc noſtro ſæculo longè quærendus eſt.

Matth. 25. Luc. 16. Ad catholicos principes pia allocutio. 2. Timoth. 3 2. Pet. 2.

Sed, vt ad id vnde digreſſa eſt reuertatur oratio, aduerſarij ſanè quàm callidè ſuos iudices ad ſummi pontificis crepidam abiecerunt, vt dum in ea diſcutienda, & in ridiculis contentionibus, quæ ad rem nihil faciunt, implicati tenentur, non ſolùm cuius cauſſæ iudicium ſibi propoſitum eſſet, obliuiſcerentur, verùm etiam inani atque ridicula diſputatione

tatione

tatione commoti, ſummoque in illas pontificias crepidas odio inflammati, tum demum de cauſſæ noſtræ præcipua quæſtione ſententiam ferrent, & de vera atque reali in Euchariſtiæ ſacramento corporis Chriſti præſentia iudicarent. Videor autem mihi illos in ſuo concilio ita diſſerentes audire. Papa habet crepidas, ergo Chriſti corpus non eſt in Euchariſtiæ ſacraméto: Cæſar pontificis pedem oſculatus eſt, igitur Chriſtus ex Euchariſtia fugit. Pontifex huic duo ſacerdotia conceſſit, illi conſanguineam ducere permiſit, falſa ſunt igitur ea Chriſti verba, hoc eſt corpus meũ, hic eſt ſanguis meus. O argumenta præclara! ô inſignes dialecticos! ô miram conſequentiam! pontifex, inquiunt, hoc illúdve facit; falſum eſt igitur Dei verbum, O miſeri homines atque decepti! vbi eſt diuinum illud ingenium, vbi illud acumen, de quo toties gloriari conſueuiſtis? & cùm ita argumentamini, vbi mens veſtra eſt? vbi ratio? vbi ſenſus ipſe communis? Eſto, habeat pontifex galerum ſtramineum, pallium purpureum, crepidas holoſericas; an propterea noſtra maiorumque noſtrorum fides falſa eſt? O præclarum argumentandi genus! ô miras dialecticorum argutias! Quæ me inter iſtos fortuna deduxit, vt tam nouam ac inuſitatam diſputandi rationem diſcerem? Sed rogo vnde

Diſparata et impertinentes hæreticorum argumentationes proponuntur.

Contra hæreticos ob ſuam cæcitatem increpatio.

iſti acceperunt, Chriſtianæ fidei veritatem à cuiuſquam hominis crepidis tiaráve pendere? O ſanctiſſimos iudices, ô ingenioſiſſimos homines, qui de Papæ crepidis fidei veritatem metiuntur!

Ipſa ratio me deficit, cùm tantæ iſtorum faſtu ac ſuperbia tumentium hominum ſubtilitatis, immo fatuitatis atque ſtultitiæ rationem reddere cupio. Vnde rogo iſti nouum hunc ſpiritum hauſerunt? non putaram ſanè mundum vſque adeò deſipere poſſe, maximè hoc tempore quo ſe magis quàm vmquam antè, ſapere gloriatur. Sed iam facilè perſpicio, non omnes qui ſe ſapere putant, eſſe ſapientes. nec enim deeſt, qui cùm cæcus ſit, ſe plurimum cernere exiſtimet. Aduerſariorum igitur faſcinum video, qui pro ſua libidine adeò nouis iſtis iudicibus illudunt, vt iis poſteaquàm de pontificiis crepidis ſat multis verbis diſſeruerint, eos ſummos theologos, rerumque Eccleſiaſticarum iudices maximè idoneos eſſe perſuadeant. Sed aliter profectò ſe res habet. Multum tamen aduerſariis debent, à quibus non ſolùm Chriſti fidem ex pontificiis ſandaliis crepidiſque pendere, verum etiam humi quærẽdam eſſe didicerunt.

Mundi & hæreticorum inſipientia.

Nec mihi dubium eſt, quin illi in me vociferabuntur ac perſtrepent, ſe numquam ad eum modum neque argumentatos eſſe, neq. omnino

Tacita hæreticorum pro ſe reſpōſio retunditur.

omnino docuiſſe. Quod etſi ita ſe habet, nec illi huiuſmodi verbis, qualia antè poſuimus, vmquam vſi ſunt, tamen ex eorum oratione ea omnia elici poſſunt. Nam cùm de fidei veritate quęritur, quorſum homines acutiſſimi, quales ſe eſſe putant, de Papę ſandaliis diſputationem in medium adferrent, niſi id ad fidei noſtræ oppugnationem maximè facere arbitrarentur? quòd ſi huiuſmodi diſputatio extra cauſſam eſt, nec quidquam ex ea contra fidem noſtram inferri poteſt, quæ (malum) eſt iſta fallacia, qua iudicibus ſuis ſpecie contentionis illudunt? quod cùm ab iis fit, tempus, vt leuiſſimè dixerim, fruſtra cōſumitur. Non eſt autem veriſimile homines adeò religioſos ac pios, quibus crucem aliquam niſi in crumena geſtare piaculum videretur, id facturos fuiſſe, niſi ad rem & ad cauſſam maximè pertinere arbitrarentur.

Quæ cùm ita ſint, cumque in hac cauſſa huiuſmodi diſputationem adhibeant, non eſt dubium, quin eam ſuperuacaneam eſſe nullo modo velint. eſſet autem inanis & vana diſputatio, ſi quod illi conſequens eſt, non liceret inferre. iure igitur dixi tales illorum eſſe concluſiones, taliaque argumenta. Quorũ vis vt ab omnibus intelligi ac perſpici poſſet, ea ſimpliciter expoſui, quæ orationis nitore fucata, à cunctis videri non poterant.

In totius cleri vitam et mores hæretici impetum faciunt.

Sed fortè ſummi pontificis crepidam aliquando pertęſi, non ſolùm in illius, ſed etiam in totius cleri vitam ac mores impetum facient, in quos ex aduerſariorum ſententia, ad oppugnandum fidem noſtram argumentorum ſuorum tela torquebunt. Et ſanè hoc eſt extremum illorum præſidium, ſacraque, vt dicitur, anchora. Cùm enim in fidei noſtrę oppugnatione ſuperati quod dicant amplius nihil habent, tum in hunc fecundiſſimum locum ſe recipiũt, ex quo tamquam ex fonte quodam aliquam dicendi copiam haurire conſueuerunt, ne vmquam victi tacere videantur. Quod ex aduerſariorum diſciplina ſemel ſumptũ ita iugi exercitio confirmarunt, vt in ſummum pontificem totumque Eccleſiaſticum ordinem tam Vatinianum odium tantumque furorem mente conceperint, vt ſi illi ad veritatem illuſtrandam atque monſtrandam, Solem ipſum geſtarent in manibus, eam tamen iſti nullo modo videre poſſint. Tanta caligine, tantis tenebris eorũ animos ira perfudit. Verùm tamen cùm de tam ſublimi diuinaque materia, qualis eſt fidei noſtrę veritas, agitur, omnes aliæ quæſtiones, quæ huc non pertinent, aut prætermittendæ ſunt, aut certè differendæ. Si quid igitur in vitam moreſque pontificum aliorumque Eccleſiaſticorum dicendum videbatur,

Omnes alias quæſtiones prætermittunt hæretici, vt eccleſiaſticos arguant.

id aliis

id aliis tribunalibus reſeruandum erat. nam ſi quid aduerſus eos nouerant, iuxta Euangelij præceptum, fraternè illos ac priuatim monere debebant. Quòd ſi hac ratione nihil profeciſſent, tum demum ad iudices Eccleſiæ Romanę illorum nomina deferenda erát. Hoc & Euãgelij præceptum, & ipſa ratio poſtulabat. non, quemadmodum iſtis moris eſt, quotidianis criminationibus ſeſe alioſque vexare: quod profectò non paſſim ac peſſimo exemplo, ſed apud legitimos eorum iudices Eccleſiæ Romanæ, qui & in peccantes ſeuerè animaduerterent, & iudiciaria auctoritate defluentem reſtituerent diſciplinam, faciundum erat. Atque ita qui ſine peccato eſt, primum in eos lapidem mittat; vt dicebat Chriſtus redemptor noſter. Match 18. Ioan. 8.

Quid igitur? negamus multa in Eccleſiaſticum ordinem vitia irrepſiſſe? minimè verò. immo hæc ipſa ſublata eſſe vellemus. illud tamen & ſentimus & dicimus, cùm de fidei veritate agendum eſt, tum huiuſcemodi criminationes, quæ alium locum poſtulant, propterea quòd neque ipſius veritas, neque ſacramentorum vis & energia ex illorum moribus pendet; miſſas eſſe faciendas. Vnde & Chriſtus illos audire præcipiens, ne eorum vitia ſequeremur, admonuit. Match. 23.

At verò Dominus, inquient, cùm de pſeudopro-

doprophetis in mundum venturis diſſereret, à fructibus, id eſt operibus eorum noſcendos eſſe prædixit. Rectè igitur, cùm de fide agendum eſt, vt de illius veritate iudicari poſſit, paſtorum ac præpoſitorum Eccleſiæ vitia proferũtur in medium. Ego verò vt dicam quod ſentio, locum hunc euangelicum de pſeudoprophetis, non de quibuſuis prophetarum vitiis atque peccatis accipiendum eſſe reſpõdeo; ſed de iis tantum, quæ ipſa doctrina peperit, ſuaque ſententia fouet atq. approbat. vt cùm, verbi cauſſa, docet aliquis propheta, licitum eſſe proximum occidere, rapere, furari, vota Deo nuncupata reſcindere, iniuſta bella inferre, ſuis principibus rebellare, ex huiuſcemodi inquam operibus pſeudopropheta agnoſci poteſt, propterea quòd ea ex illius doctrina naſcuntur. Ceterùm ſi propheta adulter quidem eſt, aut homicida, aut ſimoniacus, hæc tamen vitia ſua voce doctrinaque condemnat, eum verum prophetam eſſe dico. talia ſiquidem opera non ex eius doctrina naſcuntur, ſed cum ea pugnant, ſuntque contraria. Quæ cùm ita ſint, ipſam doctrinam, quæ illa opera condemnat, bonam ac ſalutarem potius quàm malam eſſe arguunt. Quæro igitur ex iſtis, cur Eccleſiaſticos pſeudoprophetas eſſe contendant? nec dubium eſt, quin reſpondeant, quia dicũt, & non

Matth. 7.

Cuidam hæreticorum argumento reſpondetur.

Quis dici poteſt verus ac falſus propheta.

Contra hæreticos efficax argumẽtum.

non faciunt. Illorum ergo doctrinam ſanam ac bonam eſſe aduerſarij confitentur. nam ſi falſa eſſet ac mala, eam non obſeruando, rectè facerent. Si igitur eam minimè ſeruando peccant ac ſceleratè viuunt, certè ſequitur eam eſſe bonam. Dicunt igitur iſti, quoniam adulteri, ſimoniaci, ebrioſi ſunt Eccleſiaſtici; proinde eorũ falſam eſſe doctrinam. Rectè quidem dicerent, ſi talia opera illorum etiam doctrinæ genus comprobaret: ſed tantum id abeſt à vero, vt huiuſmodi facta, quæ quotidie pro concione Eccleſiaſtica diſciplina condemnat, ſugienda ac deteſtanda eſſe aduerſarij à nobis didicerint.

Ex malis operibus quando doctrina dicetur falſa.

Non ſunt igitur hi doctrinæ noſtræ, ſed imbecillitatis humanæ atque concupiſcentię fructus, quam ab ineunte ætate ad malum quàm ad bonum propenſiorem eſſe conſtat. Verſetur ante oculos Dauid regis exemplum, qui quamquam ſeſe non ſolùm adulterio, verum etiam nefaria cæde polluerat, verus tamen propheta etiam tunc erat. Qui id fieri poteſt? An verus ille propheta etiam tunc erat, qui tam perditos fructus ex ſe protulerit, tã nefaria facinora deſignauit? Quid ni? nec enim illa peccata & crimina ex illius doctrina tamquam ex fonte manabant, ſed ex humana imbecillitate veniebant. illa ſiquidem huiuſmodi peccata damnabat. Vnde & ille

Gene. 8.

Dauid licet adulterium commiſit, verus tamen propheta fuit.

cùm

2.Reg.12. cùm à Nathan propheta reprehenderetur, tales imbecillitatis ſuæ fructus non modò non defendit, verùm etiam propter doctrinæ genus, quod amplexus erat & ſequebatur, ſtatim propria confeſſione damnauit.

Idem noſtris doctoribus catholiciſque paſtoribus vſu venire dico. neque enim illa peccata, quorum ab aduerſariis accuſantur, fructus ſunt eorum doctrinæ, ſed imbecillitatis humanæ. illa ſiquidem crimina atque peccata vniuerſa condemnat, & ſi quod ab iis tale peccatum admiſſum eſt, id ante quàm ad miſſæ ſacrificium veniatur, nõ ſolum pœnitentia, verùm etiam exomologeſi & ipſius peccati confeſſione damnatur. Ita quæ in noſtris vitia atque peccata aduerſarij reprehendunt, ea noſtri ſponte condemnant.

Quæ cùm ita ſint, de huiuſmodi operibus condemnandis inter nos & aduerſarios ſublata videtur omnis controuerſia. nam ſi ea damnant aduerſarij, idem & noſtri, quamuis à ſeipſis admiſſa ſunt, faciunt: neque quiſquã ex noſtris vnquam fuit, qui huiuſmodi facta defenderet. Cum igitur de fidei veritate iudicandum eſt, ad huiuſmodi fructus ac hominum vitia conuertenda non eſt oratio. Deſinant igitur aduerſarij eccleſiæ noſtræ propter talia filiorum eius vitia atque peccata maledicere, quæ & ipſa condemnat, &

Eccleſia propter aliquorũ eius filiorum peccata non eſt maledicẽda.

quos

quos quotidie quaſi malos filios corrigere ſtudet. Ita Beatus Auguſtinus iis, qui ipſius ſæculo matri Eccleſiæ propter filiorum eius vitia detrahebant, reſpondere conſueuerat. Nunc, inquit, illud vos admoneo, vt aliquando eccleſiæ catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum, quos & ipſa condemnat, & quos quotidie quaſi malos filios corrigere ſtudet. certè ob huiuſmodi vitia iure vituperari mater eccleſia non poteſt: quam ſi homines audire vellent, nihil in iis reprehenſione dignum eſſet; nec quidquam obſtaret, quo minus omnes ſanctitatis laude florerent. Sed numquam adeò felix erit in hoc ſæculo, nec ita bene agetur in rebus humanis, quin inter triticum zizania reperiantur, boniq́ue cum malis permiſti ſint. Neque verò ea re illius doctrina mala eſt; quæ quia non obſeruatur, tanta in omnibus Chriſtiani orbis ordinibus vitiorum atque criminum ſeges vbique luxuriat. Quæ vitia non eccleſiaſticæ doctrinæ, ſed imbecillitatis humanæ fructus ſunt. Atque vtinam hæc operum diſtinctio omnibus cognita eſſet atque perſpecta. intelligeretur enim quæ hinc ex humana tantum imbecillitate naſcuntur, quæ inde ex vitioſo fonte doctrinæ manant & profluunt. Ex quo fonte quæ originem ducunt, ſuum auctorem pſeudoprophetam eſſe arguunt,

Matth. 13.

Humanæ imbecillitatis fructus, peccata ſunt, non doctrinæ eccleſiaſticæ imputanda erũt.

guunt; quæ verò contra doctrinam ex ſola imbecillitate naſcuntur, ea neque ad improbãdum doctrinæ genus atque damnandum, neque ad ipſius veritatem, aut ſacramentorum vim & efficaciam metiendam valent.

Spinoſiora fortè hæc iſtis videbuntur, attamen ita nos diſtinguere ratio ipſa compellit, non ſolùm vt multa vitemus incommoda, verumetiam vt ſcripturæ complures locos, qui alioqui inter ſe pugnare viderentur, ſi indifferenter de fructibus & doctrinæ & imbecillitatis humanæ intelligerentur à nobis, conciliare poſſimus. Quale enim & quantum in primis eſſet incommodum, ſi fidei veritas imbecillitatis humanæ fundamento

Iob 14.

Fidei ſtabilitas non in hominis inſtabilitate fundatur.

niti videretur, cùm ſcriptũ ſit; Homo numquam in eodem ſtatu permanet? Cùm igitur tanta ſit hominis inſtabilitas, fides modò vera, modò falſa haberetur, iuxta doctoris affectum, qui cùm hodie probus ſit, qualis craſtina die futurus ſit, incertum eſt. Quid? quod

Prouerb. 24.

iuxta ſcripturæ ſententiam, cùm quotidie ſepties iuſtus cadat, veritatem quoque in falſitatem atque mendacium mutari toties oporteret? Quid opus eſt multis? cùm nullus hominum ſit abſque peccato: fidem proinde falſam eſſe arbitraremur, niſi forte ab aliquo angelo prædicaretur. Nam ſi dixerimus (vt

1. Ioan. 1.

ait Ioannes Apoſtolus) quòd peccatum non habemus,

habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.

Denique ſi hoc tempore hominum vita ſpectanda eſt, vt ex ea fidei veritas æſtimetur, aduerſariorum fidem æquè ac noſtram damnari neceſſe eſt. nam in vtraq. parte magna ſunt vitia, magna peccata. Immo verò omniū Dei prophetarum atque Apoſtolorum damnanda doctrina eſt. Quotus quiſque enim illorum etiam poſt ſuam ad tam diuinum munus vocationem non aliquando lapſus eſt? quotus quiſq. non acerbos peccatorum fructus attulit? teſtis ille præclarus ac ſingularis Dei amicus Moſes, qui poſt tanta à ſe in Æ- *Moſes.*
gypto patrata miracula, poſt illa in deſerto prodigia, poſt familiare colloquium cū Deo, *Exod. 33.*
cui tamquam amicus facie ad faciem loqui ſolitus erat, tandem apud aquas contradictionis incredulitatis vitio Deum ita grauiter offendit, vt illud peccatum vix poſtea *Num. 20.*
morte lueretur.

Quid dicam de illo maximo rege ſanctiſſimoque propheta Dauid, quem ipſe Deus *Dauid.*
ſecundùm cor ſuum inueniſſe pronunciauerat? *Act. 13.* hic tamen talis ac tantus turpi adulte- *2. Reg. 11.*
rio nefariaque cęde cùm ſeſe polluiſſet, etiam *2. Reg. 24.*
illud adiecit, vt populum ſibi ſubiectum temerè numerauerit, & tam acerbos vitiorum fructus attulerit, vt illius peccata crudelibus

bellis & miſeranda lue, quibus magna pars plebis attrita eſt, ſeueriſſimè vindicaretur.

Quid de Apoſtolo Petro? quid de ceteris Apoſtolis dicã? qui poſtquam ad diuinũ illud miniſteriũ à Chriſto vocati ſunt, ipſum Dominũ ac Deũ ſuũ, à quo in tantum dignitatis culmen euecti erant, impiè deſerentes, in eo omnes ſcandalũ paſſi ſunt? ſi ergo imbecillitatis humanæ fructus pſeudoprophetam arguunt & oſtẽdunt, hos omnes, de quibus diximus, inter falſos prophetas numerari neceſſe eſt. præterea ſi ſacramẽtorũ vis, efficacia, veritas ex miniſtrorũ vita moribuſq; pendere; quid iis vanius, quid inſtabilius, quid incertius? quod ſi ita ſe haberet, an non iure dubitares, vtrũ baptizatus ſis nec ne? vtrũ à peccatis abſolutus ſis nec ne? vtrũ corporis Chriſti verũ ſacramentum acceperis nec ne? quis enim noſtrũ ſcire poteſt, nũ ſacramenti miniſter peccatis implicatus ſit, an non? Fit enim nõ numquã, vt is quem omniũ integerrimũ atque ſanctiſſimũ homines putant, eo, quem nequiſſimum ac perditiſſimum omnes exiſtimant, nequior corã Deo reperiatur. Quid quod hic vera nunc ſanctitatis atque iuſtitiæ laude præcipuus, cras in peccata fortè labetur; ille autem contrà multis hodie vitiis peccatiſque coopertus, cras abiecta peccatorum ſarcina, innocentiam atque iuſtitiam Dei beneficio

Matth. 27. Luc. 12. Marc. 14.

Sacramentorum vis non ex miniſtrorũ moribus depẽdere oſtẽditur.

neficio conſequetur? & quoniam nemo præter Deum nouit quid ſit in homine, nemo præterea ſcire poteſt quis ſit iuſtus. Proinde quando ſacramenti miniſter verum, quando falſum diceret; itẽ quando ſacramẽta vim ſuam & efficaciam obtinerent, quando non; eſſet incertum. Ad hæc omnia noſtræ fidei, religionis, ſalutis fundamenta dubia eſſent & incerta, ſi rei tam inſtabili ac lubricæ, qualis eſt hominis vita, per ſingula horarum momenta mutabilis, niterentur. 3. Reg. 8.

Quæro autem quid hoc ſibi velit, quod hæretici, qui opera meritaque ſanctorum nihili æſtimare ſolent, nunc miniſtrorum ſanctitati meritiſque rem tam ſublimem atque diuinam, quanta eſt fidei veritas & ſacramẽtorum vis & efficacia, attribuant? an non his ſuis verbis ſeſe condemnant & iugulant, cùm adeò pugnantia & dicunt & ſentiunt? ſed qui fieri poteſt, vt miniſtrorum ſuorum meritis, quæ quanta ſint, Deus nouit, res tantas, tamque diuinas attribuant & adſcribãt; quæ iuxta catholicorum omniũ ſententiam, non aliundè quàm à paſſionis Chriſti meritis, & verborum eius ac promiſſionum veritate, eccleſiæque catholicæ officio & miniſterio dependent? quibus ſanè non ſolùm certius, verumetiam ſtabilius ac firmius fidei noſtræ & ſacramentorum nititur fundamentum, *Contra hæreticos ex ſuis verbis argumentum.*

tum, quàm quod iſti, ſine verbi Dei auctoritate, ſuper hominum vita moribuſque pro ſua libidine arbitrioque confingunt. Quæ enim humana virtus ac ſanctitas tanta vmquam eſſe poſſit, vt tantorum ſacramentorum efficaciam, Spiritus ſancti gratiam, peccatorum remiſſionem, & corporis Christi præſentiam mereatur? Gratia iam non eſt gratia, ſed merces, ſi pro humanorum meritorum qualitate rependitur. Ad hæc neque humana infidelitas atque peccata diuinas promiſſiones euacuare, neque mendacia Deum mendacem efficere poſſunt. Sint homines quamuis magni peccatores, ſint omnibus vitiis flagitiiſque cooperti; Deus tamen ſemper & in verbis ſuis verax, & in promiſſis fidelis eſt. vnde ipſe Chriſtus redemptor noſter ait: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.

Deus verax in verbis & promiſſis ſuis. Matth. 24

Sed dic mihi obſecro, qualem iſti homines Deum faciunt, quem iuxta humanam inſtabilitatem fingunt eſſe mutabilem? nimirum ſi homines probi fuerint, tum Dei verba eſſe vera; ſin verò improbi, tum falſa exiſtiment. Ita ſi Chriſtiani pij fuerint, Deus erit verax; ſi impij, mendax.

En quam opinionem de Deo, æterno, vero, incommutabili, qui, iuxta poëtæ ſententiam, idem manens dat cuncta moueri; iſti

Boetius.

homines inſtabiles, & omni nouæ doctrinæ vento expoſiti, ſibi fingunt. Dei ſententia eſt: Ego Dominus, & nō mutor. De homine autem quid verius dici poteſt, quàm quod ſcriptura ait, numquam in eodem ſtatu permanet? Quanta ergo dementia eſt, ſalutis noſtræ fundamentum, omiſſo Dei verbo, & infinitis paſſionis Chriſti meritis, ſupe re adeò inſtabili & incerta, qualis eſt humana vita, collocare?

Mal. 3.

Iob 13.

Venit mihi in mentem cuiuſdam ex iſtis, qui fidei noſtræ veritatem de miniſtri vita & moribus pendere dicebat. ex quo cùm quæſiſſem, an omnes fidei propoſitiones veras eſſe ſentiret: atque is ita eſſe concederet; quæſiui deinde, num veram aliquam propoſitionem in falſam mutari exiſtimaret, ſecundum quod eius, qui eam aſſereret, vita mutaretur. hærere cœpit homo, & ne caperetur, tenere ſilentium. Tum ego: Si quod antè dicebas, nimirum fidei veritatem de miniſtri moribus vitaque pendêre, defendis, vt & illud, eam mutari prout illius vita mutetur, defendas neceſſe eſt. Fingamus autē, verbi gratia, miniſtrum veſtrum iam probum ac ſanctum dicere, Deus in cælum aſcendit: ſi ante veſperam, quod huiuſcemodi hominibus ſæpe contingit, fortè peccauerit, poſtridieq́. idem dicat, Deus aſcendit in cælum: ſequitur, iuxta

Argumentum efficax cuidam hætetico propoſitum.

veſtram theologiam, vt hic aſcenſionis articulus modò verus, modò falſus ſit. Ita fidei veſtræ veritas iuxta miniſtrorum, qui non minus quàm alij, quidquid dicatis, impuri ſunt, vitam & mores ſubinde mutabitur. O ſtultum inquam, omniq́ue piſtillo retuſius ingeniorum veſtrorum acumen! O quàm parum quid dicatis attenditis! ô inſtabilem vagamq́ue fidem! ô inconſtantem & incertam ſacramentorum veſtrorum efficaciam! Deſino iam mirari, quòd fidẽ ac religionem tam facilè, tam ſæpe mutatis, hodie Lutherani, cras Caluiniſtæ, paullo pòſt Epicurei; cùm fidei veſtræ veritatem ex hominum vita pendêre credatis. An non legiſti bone vir, quod ſcriptum eſt? In æternum Domine permanet verbum tuum, in generatione & generationem veritas tua; id eſt, æterna ſtabilitate fixum atque fundatum eſt verbũ tuum. Neque enim in Deo reperitur eſt, & non, quemadmodum in filiis hominum, qui magna polliciti, aliquoties nihil præſtant. Ea verò eſt Dei verborum veritas, vt etiã ſi ab ipſo mendacij auctore diabolo, qui peccator eſt primus & maximus, proferrentur; vera tamẽ eſſe non deſiſterent. Ita illius miſeri atque decepti fatuam opinionem refutaui, vt quid mihi reſponderet, omnino nihil haberet. Et ſanè nulla eſt apud aduerſarios hac falſior & inſulſior

Hæreticorum fidei mutabilitas.

Pſal. 118.

inſulſior opinio. quæ quàm pernicioſa ſit, cùm eam tam multa ſequantur incommoda, paullo antè expoſuimus. Hæc igitur ſi ſemel ab aliquo recipiatur, illum de tota fidei & ſacramentorum eccleſiæ ratione facilè dubium reddet.

Multum autem promouit diabolus, dum huiuſcemodi falſam opinionem in eorum, quos ad fidem noſtram euertendam per aduerſarios circumuenit, mentibus animiſque defixit. nihil enim eſt quod indoctos atque illitteratos eorum diſcipulos ad oppugnandã fidem noſtram magis moueat, quàm vitia clericorum atque peccata. cùm enim nihil habent quod amplius dicant, tum in hunc locum quaſi in tutiſſimum præſidium ſe recipere conſueuerunt. Quid inquiunt? An Chriſti corpus in huius ebrioſi, concubinarij, ſimoniaci ſacerdotis manus deſcendere exiſtimabis? an ille qui tot peccatorum & criminum vinculis tenetur, te poterit abſoluere? an illi peccata tua confiteberis, & animi tui pondus expones? Aliaque multa in hanc ſententiam garriunt, quæ ex eodem erroris fonte, quo impiè docetur fidei veritas, & ſacramẽtorum efficacia ex miniſtri vita moribuſque pendere, manant & profluunt.

Hæretici ex aliquorum eccleſiaſticorum peccatis varios errores ſuadere conãtur.

Tali igitur oratione magna cum indignatione prolata, & in ſuis erroribus pertinaciſ-

Satanæ verſuta calliditas quid efficere intendat.

ſimè detinentur, & aliorum fidem plerumq. concutiunt. Sed Satanæ, cui nihil mediocre ſatis eſt, verſuta calliditas illos miſeros in hoc barathrum præcipitaſſe non contenta, vt Eccleſiæ ſacramentis impiè ac pernicioſiſſimè renunciarent, atque hunc ſacrilegum ſequerentur errorem: illud etiam ſummo ſtudio perficit, vt omni fide ac religione repudiata, tandem in Epicuri & Luciani, denique in Atheorum caſtra transfugiant. Cùm enim ij aliquamdiu in Lutheranorum aut Caluiniſtarum exercitu fuerint, eorumque miniſtros noſtris nihilo meliores eſſe perſpexerint; tum verò iis quoque repudiatis atque damnatis, eorum religionem ac fidem deſerunt, & in Lucianiſtarum caſtra tranſeunt. Ita quibus artibus noſtro ſæculo ad eripiendã Chriſtianis fidem Satan vtatur, perſpicuũ eſt.

Ex quo intelligitur, quàm pernicioſus error ille ſit, quem nunc improbamus. non vt Eccleſiaſticorum impietati, aut vitiis, quæ nos non minus quàm aduerſarij deteſtamur, fauere videamur; ſed vt omnes animaduertant quanta ſit eius erroris impietas, & quantus ex eo fonte malorum riuus exundet. Quę ſanè, ſi quemadmodum oſtendimus examinarentur, ad eius condemnationem ſufficerent, niſi errantium pertinacia, teſtimonia quoque & exempla ſcripturæ à nobis hoc loco

loco poſtularent. Igitur eorum quæſtioni, qua interrogant, qui fieri poſſit, vt Chriſti corpus in improbi ſacerdotis manus deſcendat? illud opponam, & ab iis quæram: Cur Chriſtus à diabolo ſuper pinnaculum templi ſe imponi, & in altum montem deduci permiſerit? Cur impium ac proditorem Iudam in cena corpus ſuum accipere voluit? Cur ab illo oſculari ſe paſſus eſt, cùm illum impium ac proditorem eſſe non ignoraret? Cur ab Anna & Caipha & eorum miniſtris ſe comprehendi ſuſtinuit? Cur à Pilato iudicari, & à carnificibus crucifigi; cùm ij omnes impij eſſent? Qui verò Apoſtolo Paullo credent dicenti, eum, qui corpus Domini indignè ſumit, iudicium ſibi ſumere; cùm hominē indignum ſumere poſſe infitientur? Idem enim eſt ac ſi dicerent: Paullus Apoſtolus, cùm de iis ageret, qui corpus Domini indignè ſumunt, mentitus eſt. nam ſecundùm nos nouamq. theologiam noſtram, Chriſtus numquam inter peccatoris manus deſcendit. En aliis verbis illorum explicata ſententia. O miſeri, quantum aduerſariorum dolis, ſophiſmatis, fraudibus irretiti eſtis! An hoc ipſi videre vultis? Non eſt id quidem difficile. argumentemini ad eundem modum, & fraudem ſtatim intelligetis. Quomodo igitur illi? Qui fieri poteſt, inquiunt, vt Chriſti corpus in improbi

Hæreticorum quæſtio & obiectio diluitur.

Matth. 4.

Matth. 26.

Matth. 27.

1. Cor. 11.

Hæreticorum argumẽtationes ſophiſticæ diluuntur. probi ſacerdotis manus deſcendat? non eſt igitur in Euchariſtiæ ſacramento. Eodem modo & tu quęre: Qui poteſt fieri, vt Chriſti corpus à peccatoribus attrectatum ſit? neque Iudas igitur Chriſtũ oſculatus eſt, neque Malcus percuſſit, neque Iudæi comprehenderunt, neque Caiphas aut Pilatus condemnarunt, neque milites crucifixerunt; falſa ſunt autem hæc omnia: conſequens eſt igitur vt eorum quoque argumenta, quibus vobis imponunt, falſa ſint ac ſophiſtica.

Alia quoque his ſimilia ad euertendam fidem adferunt. Epiſcopi noſtri, inquiunt, ſimoniaci ſunt, verbumq́ue Dei non prædicãt; falſa eſt igitur fides noſtra, & illi ſunt pſeudoprophetæ. Dicite & vos eodem modo: Dauid *Matth. 26.* homicida & adulter fuit, Petrus Chriſtum negauit; non ergo fuerunt veri prophetæ. Videtis ergo viri optimi, quanta ſit iſtarum propoſitionum conſequentia? Conſiderate igitur (ſi ſapitis) quo pacto his ſophiſmatis atque fallaciis capiamini. tametſi illæ verborum ornatu & orationis nitore celentur & lateãt. Huius igitur tanti erroris abſurditatem pluribus verbis exponendam duximus, vt & aduerſariorum fraus atque malitia, & iſtorum, qui ab iis tam facilè capiuntur, ſtultitia perſpici poſſit. Quid enim aliud hac in re aduerſarij moliuntur, cũ huius cauſſæ veritatẽ obſcurare

obſcurare conantes, ex clericorum ſæculi noſtri vita & moribus maiorum ſuorum pietatem fidemq. condemnant? Quid iniquius? quid fidei Chriſtianæ, quam iſti euertere geſtiunt, pernicioſius dici poteſt? Sed ſi ea, quã ſuperiùs poſuimus, fructuũ doctrinæ, & imbecillitatis humanæ diſtinctio retineatur, cũ de doctrinæ illorum veritate, vel potius qualitate iudicandum eſt, quatenus humana opera conſideranda ſint, facilè intelligetur. Quã ſanè diſtinctionẽ ponimus, vt cõplura ſcripturę loca cũ eo, in quo de pſeudoprophetis ex eorum fructibus cognoſcendis agitur, cõciliari queant. Chriſti præceptũ eſt, vt verbi & ſacramẽtorũ ordinarij miniſtri, tametſi eorũ doctrinæ vita nõ reſpondeat, audiantur. Matth. 7.

Super cathedram (inquit) Moſi ſederũt Scribæ & Phariſæi, &c. Matth. 23. Et alibi: Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Non cognoui vos. Matth. 7. Et alio in loco: Qui autem vnum ſoluerit de mandatis iſtis minimis, & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5. Perſpicuum eſt igitur ipſius Chriſti, qui paſtoribus quamuis improbis & malis obtemperare præcepit, verbis, hunc errorem eſſe confutatum. alio-

Vt paſtoribus etiam improbis obtemperemus Chriſtus voluit.

qui

qui iſtis nouatoribus opus eſſet miniſtro, antequam ei fidem commodaret, qui peccare nō poſſet; qui niſi delabatur cælo, numquam reperietur. Vetus namque ſententia eſt: Nemo ſine crimine viuit. Quæ numquam verior fuit, quàm hoc tempore.

Cato.

Nec dubium eſt, quin iſtorum iniquitas mihi calumniam ſtruat, quaſi noſtram cauſſam agam, & noſtrorum hominum atque Eccleſiaſticorum hac oratione peccata defendam. Sed nihil profectò minus. Teſtes enim ſunt ij, qui me aut norunt, aut concionantem audierunt, quàm acriter in vitia inuehi ſoleam: ſed Chriſti exemplum ſequi cōſtitui, qui antequam de Scribarū & Phariſæorum perditis moribus diceret, populum, ne propter illorum vitia atque peccata iis fidem denegaret, monebat. Ita ſanè tollenda ſunt vitia, ne veritas deſeratur atque damnetur.

Sed fortaſſe dicet hic aliquis: Quid? cùm de falſo propheta agnoſcendo agitur, nihil ne aliud, niſi doctrinæ fructus conſiderandos putas? An fructus & opera, quæ ab imbecillitate proficiſcuntur, numquam inſpicienda ſunt, vt doctrinæ qualitas poſſit intelligi? Certè tum demum, cùm nouus propheta quiſpiam nouum doctrinæ genus adfert. Cur igitur tum illius prophetæ vita moreſque conſide-

conſiderandi ſunt? quia Deus cùm extraordinariè, qui noui aliquid aut faciant, aut doceant, mittit in mundum, tum ſanctitatis atque virtutis laude præſtantes viros deligit, qui integritate vitæ, admirandiſq. prodigiis ſe à Deo ita miſſos eſſe confirment, nulla vt hominibus dubitatio relinquatur. Vnde nouum prophetam, qui ſuperbus, auarus, ſeditioſus, raptor, ſacrilegus, homicida fuerit, à Deo miſſum fuiſſe nullum audiuimus. ſed potius mites, placidos, humiles, lenitate conſpicuos, pacis alumnos, hominum amatores, opum huius mundi & gloriæ ſæculi contemptores, extraordinarios miniſtros Deus mittit. *Quales prophetas Deus miſerit.*

Contrà diabolus Dei æmulus, ſæuos, inhumanos, crudeles, ſeditioſos, auaros, homicidas, qui tametſi falſa ad tempus integritatis & humanitatis ſpecie blandiantur, diu tamē latere, & lupum rapacem, quem ficta ſanctitatis ſimulatione celabant, diu diſſimulare non poſſunt. Si quis igitur obſtinato ac pertinaci animo ea Chriſti verba de agnoſcendis pſeudoprophetis, non ſolùm de doctrinæ, verumetiam de imbecillitatis humanæ fructibus accipienda eſſe contendat, cum hoc non litigo. Illud tamen dico, de nouis qui tam improbæ vitæ, quàm malæ vitioſæque doctrinæ fructus adferre conſueuerunt, omnino *Quales miniſtros diabolus mittit.* *Matth. 7.*

nino

nino accipienda eſſe. Nam de aliis, qui ordinaria doctrinæ ſucceſſione mittuntur, & ad huiuſmodi miniſterium legitimè vocati, nihil noui neque docent neque fingunt, accipi nullo modo poſſunt. Illos enim, qui in cathe-

Matth. 23. dra Moſi ſucceſſionis iure ſederunt, tametſi doctrinæ vita minus reſpondeat, Chriſtus audiendos, iiſque obtemperandum eſſe præcepit. Si ergo de ordinariorum Eccleſiæ miniſtrorum prophetia atque doctrina ex operum qualitate iudicandum eſt, ad illos anti-

Ad antiquos doctrinæ fontes recurrendum eſt. quos prophetas, à quibus hoc doctrinæ genus tamquam ex fontibus fluxit, recurrendum eſt.

Sit, exempli cauſſa, de Scribarum & Phariſæorum fide iudicium. num qualis illorum vita ſit, conſiderandum putabimus? Minimè. Sed quibus moribus Moſes, Ioſue, Samuel, Dauid, Eſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Eſdras, aliiq. Prophetæ præditi fuerint, quorum doctrinæ genus illi conſtantiſſimè retinebant, conſiderandum eſt. An legem

Contra hæreticos efficax ratio. Moſi aliorumque Dei prophetarum vaticinia idcirco falſa eſſe dicemus, quòd Scribæ

Matth. 23. & Phariſæi, qui in illorum cathedra ſedebát, improbi erant? nihil minus. neque enim vlla eſt ratio, quæ ob ſucceſſorum improbitatem veros illos prophetas ex bonis malos faciat. Nam ſi prophetæ vitam iuſtam piamque

duxerunt,

duxerunt, etiam ſi eorum ſucceſſores iniuſti atque impij fuerint; tamen illis iuſtitiæ ſanctitatiſque laudem eripere non poſſunt. Si illorum prophetia atque doctrina, cùm initio prædicaretur, vera ſanctaque fuit; ſemper eadem erit ac manebit, qualiſcumque tandem is ſit, qui eam ſequetur atque defendet. Ita cenſeo, nõ quales ſint modò eccleſiaſtici, qui in Apoſtolorum atque eorum, qui iis ſucceſſerunt, doctorum atque martyrum cathedra ſedent, nihilque noui docent, conſiderandũ eſſe, cũ illorum doctrinæ qualitas inueſtigatur: ſed ad illud tempus, quo illud doctrinæ genus natum atque in orbem allatum fuit, recurrendum eſt, quibuſque moribus illius auctores & magiſtri præditi fuerint, intuendum eſt. quorum virtus & integritas tanta certè fuit, vt non ſolùm orbi terrarum, ſed etiam Deo & angelis eius admirabilis videretur. *Propoſitæ rationis vis & robur.* *1. Cor. 4.*

Quid ergo iniquius, quàm ſi ex eorum, qui à tantorum virorum doctrina & ſanctitate degenerant, vita moribuſque doctrinæ illorum veritas æſtimetur? neque enim ſummis illis viris atque præclaris iſtorum improbitas adſcribenda eſt. Et, vt paucis dixerim, ſi ex horum hominum, qui hodie nobiſcum verſantur, vitæ genere de fidei veritate iudicandum eſt, hanc in neutra parte eſſe confiteri

teri neceſſe eſt. vtrinq. ſiquidē denſiſſimum peccatorū atque vitiorū agmen occurrit. Ad hæc, cū integerrima ſanctiſſimaq. vita falſam doctrinā, cū perditiſſima quoque vita bonā ac ſalutarē, dico poſſe coniungi. Quæ cùm ita ſint, de bonis maliſve operibus, quæ prophetis veris & falſis poſſunt eſſe cōmunia, quærendū nō eſt, cū de illorū doctrina iudicandū eſt, niſi fortè aut de iis operibus, quæ ex ipſius doctrinæ fonte naſcuntur ac profluunt, aut ij prophetæ noui fuerint, qui inauditum atque incognitum doctrinæ genus adferant.

Alterum hæreticorum argumentū diluitur.

Sed dicet aliquis. Cur ergo noſtri cùm aduerſus hæreticos ſcribunt, illorum opera producunt in medium, ſi veritas (vt dicimus) ex miniſtri vita moribuſque non pendet? Huic quæſtioni ſuperiùs quidem reſpondimus. Sed tamen ex abundanti nunc dicimus, nos eorum tantum operum mentionem facere, quæ illorum doctrina, ex ſe nata, alit, fouet, approbat, & tamquam rectè facta defendit; quæque toti eorum factioni communia ſunt. Vt ſi de ea alicuius mariti, qui cum ancilla conſuetudinem habuit, aut de alicuius mulieris, quæ ſe mariti ſui fratri proſtituit, adulterio verba faciamus; nihil aliud tum nobis propoſitum eſt, niſi vt doctrinā ex ipſius fructibus iudicemus. Ea ſunt enim (teſte VVicelio in Lutheraniſmi retectione) ipſius

Lutheri

Lutheri ſiue verba ſiue præcepta. Cum ancilla congrediendum, ſi nolit moroſa vxor. Impotentis vxor coëat cum eius fratre. Ad hæc ſi ſeditiones, bella, rapinas, ſacrilegia, ædium & ſacrarum & profanarum euerſiones, oppidorum expugnationes, miſerorũ hominum cædes, omnium expilationes, ceteraque eodem pertinentia, quæ iſtorum noui Euangelij miniſtrorum auctoritate, ope, conſilio geſta ſunt, à nobis in medium proferantur. Quid enim aliud, quàm illius Euangelij atque doctrinæ fructus exponimus? hæc enim omnia iſti præclari Euangelij buccinatores licere contendunt.

Hæreticorum crudelia facta narrãtur.

Quid ſi illius Gallici Hectoris fortiſſimique herois Guiſiani Ducis, veri martyris Chriſti teterrimam illam ac funeſtiſſimam cædem, ab vno quidem Poltroto ſicario crudeliſſimè perpetratam, ſed à præcipuis illius factionis eccleſiaſticis & magiſtris imperatã commemorem? An alicui iſtorum facere videbor iniuriam, cùm illud indigniſſimum facinus non ſolum ab illius ſectæ miniſtris imperatum fuerit, verùm etiam ab illa præclara diuinaque doctrina approbatum, vt illi innocentiſſimi ſanctiſſimique doctores ei qui ſe hoc parricidio polluiſſet, vitam æternam atque cæleſtem gloriam pollicerentur?

Guiſianus Dux ab hæreticis interfectus eſt.

Illa verò crudeliſſima cædes ad demon-

ſtrandum orbi terrarum, quales iſti prophetæ ſint, plurimum valuit. Cùm enim multi hinc antè nutarent, inde à fidei veritate aberrarẽt, illud indigniſſimum facinus in cauſſa fuit, vt hi in viam redirent, illi in fide confirmati, eorum declinarent atque auerſarentur errores; omneſq́ue qui animo fluctuabant, propterea quòd iis dubium erat, vtrum iſti veri an falſi prophetæ eſſent, eo ſcrupulo liberauit. Hæc itaque cædes omnium oculos aperuit, vt luporum rabiem ſub ouina pelle latentem perſpicerent. Quis enim iſtius noui Euangelij tam acerbum immanemq́ue fructum non perhorreſcat? quis Chriſtianorum principum huiuſmodi luporum, qui fortiſſimum heroa iis artibus aggreſſi crudeliſſimè trucidarunt, rabiem ſæuitiamq́. non timeat? Qui ſi regem aliquem aut imperatorem è medio tollendum putẽt, quid facilius quàm quemuis ſicarium ſubornare, qui ſe illi, quem ad cædem deſtinauit, amiciſſimum ac fideliſſimum ſimulet, donec perpetrandi facinoris adſit occaſio? Expergiſcimini tandem, expergiſcimini Chriſtiani principes, aperite oculos, vt quales prophetæ in regnis veſtris foueantur, videre poſſitis. Tũ tua res agitur, paries cùm proximus ardet. Felix, quẽ faciunt aliena pericula cautum. Si huic doctrinæ, quæ eiuſmodi percuſſoribus cælorum regna promittit,

Ab hæreticis crudeliſsima cædes perpetrata omniũ oculos aperuit.

Ad reges Chriſtianos & principes admonitio.

mittit, locus eſt, cedo, quis animam habebit in tuto? O quantum dedecus, quantam iniuriá adferunt tibi Chriſte Domine, qui hác aiunt tuam eſſe doctrinam, & tam ſæuum atque immane Euangelium legis tuæ ſuauiſſimum iugum eſſe pronunciant! Et erit quiſquam, qui hos tuos Apoſtolos, tuos Euangeliſtas eſſe credit? quis (malum) faſcinus iſtorum miſerorum oculos menteſque cæcauit; vt qui & quales prophetæ iis illudant, videre non poſſint?

Pia ad Chriſtum allocutio.

Matth. 11.

Sed vt ad propoſitum reuertamur, ſi huiuſmodi fructus in medium adferimus, vt de eorum doctrina rectè iudicemus, nobis ſuccenſere non debent, cùm eorum Euangeliũ nõ ſolum eiuſmodi fructus approbet, verùm etiam iis, qui eos proferunt, cæleſtia regna promittat. De aliis autem operibus & fructibus imbecillitatis humanæ nihil dicendum puto, cùm talia opera ſint veris prophetis falſiſque communia, tametſi illis quoque hoc loco vti iure poſſemus, propterea quòd & eorum noua ſunt dogmata, & ipſi prophetę noui. noſtra verò doctrina omnes huiuſmodi fructus, omniaque morum vitia, quæ noſtris iure obiici poſſunt, quorum certè nobis inuitis magnus eſt numerus, vna voce condemnat. Sed ſpes eſt, fore vt Dei beneficio ſacroſancti concilij Tridentini nuper celebrati ab

Ex quibus fructibus hæretici cognoſci debeant.

Chriſtiana et Euangelica doctrina omnia vitia deteſtatur.

omnibus Chriſtianis decreta ſeruētur. quod ſi erit factum ab eccleſia noſtra, abuſus omnes ac vitia reſecabuntur. Deum optimum maximum deprecor, vt id non modò fiat, verùm etiam celeriter fiat. Quòd ſi nos tanta felicitas non manet, vt hoc tempore ſtatus Eccleſiæ reformetur, fidei tamen noſtræ ſinceritati atque doctrinæ, quam ſequimur, veritati nihil propterea decedet, contra quam illi abuſus & vitia militant: nec eccleſia deſinet eſſe ſancta, & ab omni errorum labe vitiorumque turpitudine ſeiuncta, quæ illa condemnat, & in filiis ſuis inuita tolerat; quēadmodum ex eius canonibus legibuſq. perſpicuum eſt.

Eccleſia ſancta in vita in filiis ſuis peccata tolerat.

Cùm igitur de fidei, quam à maioribus conſtantiſſimè retentam accepimus, veritate, integritate, ſanctitate iudicandum eſt, vitiorum ſæculi noſtri clericorum, quæ omnes Catholici magis quàm aduerſarij damnant, quæſtio differatur. Quòd ſi aduerſarij in hoc ſolo vitiorum campo eloquentiam ſuam iactare voluiſſent, eorum eſſet tantus exercitus, vt pro ſingulis militibus myriadas in caſtris ſuis haberent, in quibus ego quoq. non inuitus militarem. qui ſi mecum de iis vitiis rixari volunt, tota illis arena cedo. Neque enim eorum patrocinium ſuſcipere, aut de huiuſmodi abuſibus cum illis litigare conſtitui.

De abuſibus non eſt quæſtio.

ſtitui. illud tantum obiter dico, multa ab illis inter abuſus vitiaque falſò numerari. Hoc ergo ſit poſitum cùm de fidei noſtræ veritate quærendum eſt, tum neque de abuſibus, aut vitiis, quæ alium locum poſtulant, neque de aliis, quæ ad hanc cauſſam illuſtrandam minimè pertinent, diſputandum.

Ex quo perſpicua eſt aduerſariorum iniqua calliditas, qui cùm de veritate iudicandum eſſet, tam multas friuolas quæſtiones atque mendacia, quæ neque ad cauſſam omnino pertinerent, neque ad veritatem aut illuſtrandam aut oppugnandam valerent, in medium attulerunt. Id quo animo illi facere ſoleant, non eſt obſcurum; nimirum vt hoc modo lectorum iudicumq́ ſuorum ingenia confunderent, iudiciaque peruerterent, & eorum animos in noſtri odium inflammãdo, veritatis, quam ita affecti videre non poterant, è medio lumen auferrent. Inſtigant ergò eos ad iracundiam, & illorum dicacitatem in nos armant aduerſarij, vt nos & petulanter irrideant atque contemnant, & ſuis ſalibus, nugis, facetiis, mordacibus dicteriis atque mendaciis contumelioſiſſimè acceptos, omnibus exoſos reddãt. Quid enim ad cauſſam & ad veritatis ac fidei noſtræ illuſtrationem pertinet diſſerere, quæ illi homini patria eſt, qui parentes, quæ ſtudia, qui naſus, & quo

Lectorum ingenia confundere hæretici quomodo nitantur.

Queſtiones inutiles ad fidei illuſtrationem nihil valent.

colore ſit, aliaq́ue huiuſmodi anxiè diſputare? Mihi certè curæ non eſt, cuias ſit ille qui loquitur, ſítne Britannus an Gallus, macilentus an pinguis, pauper an diues, albus an àter, ruber an pallidus, gibboſus an claudus, cocles, an cæcus; neque quo cultu ſit, infulatus an mitratus, pileatus an cucullatus; ſíntne calcei feneſtrati néc̀ne. Parerga ſunt hæc & alia huiuſcemodi, nec ad doctrinæ veritatem indagandam ac diiudicandam vllo modo pertinent. Quæſtiones enim has, vt Diuus

2. Timoth. 2

Paullus inquit, ſtultas & ſine diſciplina deuitare oportet. In his tamen deſcribendis aduerſarij mirificam illam eloquentiam ſuam pompamq́ue verborum ſtudioſiſſimè iactāt, vt lectori riſum moueant, & eum talibus iocis facetiiſq́ue abductū, quòd ſit controuerſiæ caput, de qua quæritur, immemorem reddant. Ex his autem facetiis quid argumēti ad oppugnandam fidem noſtram, niſi ſophiſtici, elici poſſit non video. Quod enim

Falſæ & diſparatæ hæreticorum argumentationes proponuntur.

illud eſt conſequens, Liſetus rubeum habet naſum, Picardus in concionibus hæc duo verba, mater Dei, ſemper ponit, Maillardus quadratum pileum geſtat, Villagagnouius in Francia Antarctica fuit, Ronſardus lauro coronatur, ſummus Pontifex ſandaliis vtitur, Epiſcopi infulis ſiue tiaris, Monachi cucullis, Franciſcani calceis feneſtratis; ergo maio-

rum

rum noſtrorum fides falſa eſt. Quàm conſequentia ſint hæc ſophiſmata, quis non videat? Certè, vt ſi quis ad hunc modum argumentetur: Titius caules plantat, Deus igitur in cælo non eſt. Mus eſt in pariete, ergo ſacerdotibus vxores ducendæ ſunt. Nulla certè alia ex iis omnibus digreſſionibus, quas ad iudicum ſuorum animos à præcipua quæſtione abducendos aduerſarij facere conſueuerunt, elici poſſunt, ex quo fraus illorum calliditaſque perſpicua eſt. Quid autem eorum iudicibus ſtultius, ſi ea quæ ad cauſſam pertinent, ab iis quæ minimè ſpectãt ſeparare non poſſunt? Quid iniquius, ſi id quidem poſſunt, minimè tamen faciunt? Quid improbius ac nequius, ſi ob argumenta tam friuola, maiorum ſuorum fidem, religionem, ipſam denique veritatem temerè cõdemnant? In tam magni namque ponderis negotio, talibus nugis, iocis, facetiis, vel omiſſis, vel certè in aliud tempus reiectis, grauiùs atque cõſideratiùs agendum eſt; eaque ſola dicenda ſunt, quæ ad ipſius veritatis illuſtrationem pertinent.

Qua in re ciuilium iudicum imitanda prudentia eſt, qui ſeſe intra cauſſæ cancellos continere ſolent, nec temerè quærunt, quis, qualis, cuias, quo ſanguine cretus, qua corporis conſtitutione ſint aduocati, ſed mentis *Ciuilium iudicum prudẽtia imitanda eſt.*

aciem in id ſolum, quod iuris explanationem
Simile. ſpectat, intendunt. Ita in tali tantaque cauſſa (quod aduerſariis familiare eſt) quod iudicis animum diſtrahat, nihil dicendum eſt. Si igitur aduerſariorum iudices neque odium, quod in nos ſemel conceperunt, deponendũ, neque conſideratiùs atque maturiùs in iuris noſtri examine agendum putant, pro nobis maioribuſque noſtris ab illorum ſententia appello. Vides amice lector aduerſariorum calliditatem, fraudemque maximam ſingulari cum iniquitate coniunctam; quæ cùm tanta ſit, vt in hac cauſſa vix vlla maior appareat, in eam tamen nouos ſuos iudices à ſe circumuentos præcipitarunt. Reſtat vt iniquitatis illorum, qua hic vſi ſunt, ſeptimum caput explicemus.

QVOD ADVERSARIORVM IVDICES AB ILLIS SOLLICITATI, *maiorum ſuorum patronis liberam audientiam denegarunt, immo ad eos interficiendos arma ceperunt.*

CAPVT XII.

QVIBVS artibus aduerſarij iudices ſuos fefellerint, iiſque huius ſacroſanctæ cauſſæ veritatem ex miniſtri vita, iuxta quam veritas ipſa in menda-

cium

cium mutari poſſet, pendere perſuaſerint, iam expoſuimus. Quod ſane non modò ridiculum & abſurdum, ſed etiam velut fecũda mater multos alios errores ex ſe parit, in lucemque producit. Sed non minor eſt ſeptima illorum iniquitas, in quam dolis ſuis atque fallaciis nouos ſuos iudices coniecerunt. Quis enim neſciat ad officium iudicis maximè pertinere, vt vtrique parti liberam audientiam præbeat, neque reum eiúſve patronos armis aut minis terreri patiatur? Cùm Ciceroni pro Milone dicendum eſſet, quàm admirandũ Romanis ſpectaculum fuit, curiá ac forum militibus refertum videre? Silent enim (vt ait ille) inter arma leges; nec vbi vis valet, iuri locus eſt. Ceterùm aduerſarij id effecere dicendo, vt ſuos iudices in eam ſententiam facilè traxerint, vt non magnopere laborarent, ſi in maiorum noſtrorum fidei ac religionis defenſione alicuius minis impediremur: neque id prohibendum putarent, verumetiam ipſi arma caperent, quibus, ne quis contra aduerſarios maiorum ſuorum pietatem fidemque defenderet, impedirent. Quod vt iis facilius eſſet ac planius, principes quoſdam ac pecunioſiſſimos negotiatores ſibi vectigales efficiunt, iiſque perſuadent, vt in communi quadam arca pecuniã ſuam includerent, vt hoc modo eorum tecta

Hæreticorum ſeptima iniquitas. Ad iudicis officium ſpectat, vt præſtet, quòd neque reus, nec eius patroni terreantur.

Cicero pro Milone.

Hæretici cõmunem arcã & marſupiũ contra fideles fraudulenter inſtituunt.

eſſet audacia, qua ſummi magiſtratus iniuſſu arcam illam communem inſtituerant, quam ij, vt piè credere poſſumus, & vt experientia ipſa poſtea euidẽter oſtendit, propterea quòd & ad opprimendos pauperes, & ad equites Germanos, qui ad illam carnificinam exercẽdam, & ad illorum conſilia exſequenda conducendi erant, alendos atque ditãdos excogitata fuerat, pauperum appellarunt. quam ego potiùs hæreticorum marſupium contra inſontes dicendam cenſeo, de quo
Prouerb. 1. ſcriptura ſacra impiorum verba referens, inquit: Marſupium ſit vnum omniũ noſtrum.

His artibus ita quorundam potentiſſimorum principum ſimplicitati illuſerunt, vt ex ditiſſimis egentiſſimos reddiderint, dum iis perſuadent vt ſuos agros, prædia, villas, tota denique patrimonia venderent atque diſtraherent; vt eſſet vnde & cauſſam ſuam copioſè defenderent ac fouerent, & diabolicam illam pauperum arcam implerent. ex qua non
Hæretici ſuis ſtipendiis quos alebant. ſolùm centuriones ac tribunos complures alebant, verùm etiam eos omnes, qui maiorum ſuorum cauſſa abiurata, in eorum caſtra tranſiſſent, eiuſque factionis patroni, id eſt, miniſtri & concionatores eſſe, & hinc in maiorum religionem ac fidem inuehi, inde iſtorum impietatem atque perfidiam laudare tueriq́ue voluiſſent, ſibi amplis ſtipendiis obliga-

obligabant. Quo artificio magnum perſugarum, religioniſ vincula diripientium, & ſanctæ diſciplinæ à ſeipſis iugum proiicientium, & aduerſus præſules ſuos dicentium; dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum; quos apoſtatas iure dicimus, numerum è cœnobiis illexerunt, iiſque tamquam ſi ſeruos vocarent ad pileum, libertatem polliciti, non ſolùm omni libidine inquinatum vitæ genus permittunt, verùm etiam contra præpoſitos ſuos, atque ipſum magiſtratum, ſi fortè ab illis pæne aliquid criminibus eorum impendere videatur, opem ſuam præſidiumque promittunt. Ita aduerſarij non quale hominum genus in caſtris ſuis habeant magnopere ſibi laborandum, ſed vt ſatis multos habeant efficiendum exiſtimant. Horum igitur transfugarum venenatis linguis, & canina facundia, eos omnes, qui maiorum ſuorū patrocinium ſuſceperunt, tot contumeliis conuiciiſque lacerarunt, tot in eos deriſiones excogitarūt, tot mendacia confinxerunt, tanto populi, id eſt, ſuorum iudicum animos, & tam incredibili in illos odio inflammarunt, immo rabie ac furore armarunt, vt illi ſine certo vitæ diſcrimine prodire, ſuamque de maiorum pietate ſententiam, quam tuentur, aperire vix audeant. Quis enim noſtrorum hominum,

Pſal. 2.

Quales homines ab hæreticis recipiantur.

quis

Sine vitæ diſcrimine ſacerdotes & monachi iter facere non poterant.

quis omnino ſacerdotum aut monachorum ſine certo vitæ diſcrimine, niſi mutata veſte, iter nunc facere poteſt.

Longè verò aliter eorũ miniſtri, qui cùm iter faciunt, eorum præſidio & armis ita ſepti ſunt, vt tuta ſint omnia. Qui cùm iudices ſuos illoſque principes atque cuſtodes corporum ſuorum, à quibus alebantur, tá magnos ſumptus facere animaduerterent, illumque communem fiſcum, quem pauperum nominabát, paullatim exhauriri intelligerét, rationem planè Euangelicam, qua illis ſatellitibus ſuis & ſatisfacerent, & beneficia rependerent, excogitauerunt. His ergo perſuadét, vt ædes Deo ſacras ac templa ſpolient, omneque aurum & argentum, quod in iis repoſitum maiores noſtri Deo optimo max. conſecrarant, vt leuiſſimè dixerim, auferre non dubitent. deinde eos omnes, qui contrà ſentirent, crudeliſſimè occiderent, eorumque bona diriperent. Nam iſti ſeditioſi miniſtri, quos Euangelicos nominant, callidiſſimi ſcilicet homines, maximè verebantur, ne illi nobiles, qui illos alendo ſua omnia conſumebant, vbi reſpexiſſent, ſeque ad inopiam redactos eſſe animaduertiſſent, tum demum eos deteſtari inciperent. Ita eos ſpoliorum & rapinarum totius orbis Chriſtiani vana ſpe atque exſpectatione lactantes, facilè perſuaſerunt,

Hæretici Eccleſias & tẽpla ſpoliare quare decreuerunt.

ſuaſerunt,non ſolùm honeſtè, ſed etiam Euangelicè, ſublatis ac mortuis propinquis ſuis, id eſt, ceteris Chriſtianis eorum fratribus & affinibus, eos ex mortuorum ſpoliis Euangelicè poſſe ditari, ad eumque modum rei familiaris, quam illi Euangelicis præconibus ſequendis & alendis ſtultiſſimè exhauſerant, lacunas expleri poſſe monuerunt. Quod illi libenter ſanè fecerunt, facillimeque iſtorum verbis, quæ & ſuis cupiditatibus maximè cõueniebant, & viam planam & honeſtam oſtẽdebant, qua in priſtinum reſtitui poſſent, aſſenſi ſunt. Neque id iſti difficile eſſe dicebant, maximè cùm in omnibus Chriſtiani orbis partibus atque prouinciis ſymmyſtas & commilitones ſibi eſſe gloriarentur, qui illis ſacrilegam direptionẽ aggreſſis ſtatim opem ferrent. Ita iſti ſuos ad diripiendum orbem claſſico vocis animabant. Sed hi Dei optimi max. benignitate mundum neque adeò ſopitum ac remiſſum inuenerunt, neque tam facilè ſpoliari poſſe ſenſerunt, quàm illi iis, quos fallere cupiebant, vana oratione perſuaſerant. Quod poſtea rei declarauit euentus, ex quo illi magno ſuo detrimento & incommodo, tum quidem ſe pretio ſpem emiſſe intellexerunt, nunc verò eos ſuæ temeritatis & audaciæ ſerò pœnitet, cuius exitum cupiditati ſuæ contrarium eſſe ſentiunt, ſibiq́. poſt illos

Aliorum bona eripienda eſſe hæretici ſuadebant.

Hæretici vbique fautores et cõmilitones habere gloriantur.

Pudor quãdo perniciosus et ſtultus cēſeatur.

illos labores, illos ſumptus atque conatus nihil aliud, niſi egeſtatem, relictum eſſe perſpiciunt. Et ſanè niſi ſtulto pernicioſoque pudore confitendi ſuum errorem, in quem ab illis inducti ſunt, tenerentur; continuò iſt o non ſolùm miſſos facerent, verùm etiã in malam rem præcipites agerent. Sed nihil eo pudore, qui errantem in viam redire non ſinit, pernicioſius, nihil ſtultius.

Illud autem certum eſt, aduerſarios deinceps tot homines, qui tam ſtultè rem vitamque ſuam ad tam turpis atque impiæ cauſſæ defenſionem conferant, minimè reperturos. multi enim oculos aperire cœperunt, vt à quibus prophetis in præceps rapiantur intelligant. Ex quo intelligi poteſt, veriſſimã illã

Mala quare Deus permittat.

eſſe Auguſtini ſententiam: Nullum malum permittit Deus, ex quo non aliquid boni eliciat. Magna certè mala fuerunt, quæ & aduerſarij, & ij qui ab illis decepti ſunt, toti orbi Chriſtiano attulerunt. Sed hoc bonum ex eorum nefaria crudelitate natum eſt, tametſi id illis minimè debeamus; nimirum quòd quales ij prophetæ ſint, & quàm ſæuos immaneſque lupos illa ouina pelle celabant, ita orbi perſpicuè clareque monſtrarunt, vt neminem deinceps fallere queant, ſitque is, qui iſtos non agnoſcet, planè cæcus ac demẽs. Certè, ſi illa iræ & odij cæca caligo, quam

contra

contra nos maiorum ſuorũ patronos in ſuorum animis excitarunt, diſcuſſa eſſet atque ſubmota, viderent meridiana luce clarius, iſtos omnes, qui ſpecioſo Euangeliſtarum nomine gloriantes, eos in talem factionem trahebant, nihil aliud niſi rapaces lupos fuiſſe.

Chriſtus & diabolus diuerſam & contrariam doctrinam docent.

Sed vt perſpicuum ſit, à quo iſti miſſi fuerint, & cui militarent, animaduertendum eſt, Deum, & æmulum eius diabolum, quẽadmodum in ceteris quoq. rebus inter ſe cõtrarij ſunt, ita cùm aliquid noui moliuntur, atque in lucem edere volũt, longè diuerſam ingredi viam atque contrariam; hic in erroris & hæreſeos ſpargendo ſemine; ille in fidei doctrinæque cæleſtis veritate propaganda. Quod quàm verum ſit, ſi quis illam rationẽ, qua Chriſtus in tradenda docendaque fide Chriſtiana vſus eſt, cum iſta, qua in ſuis erroribus propagandis hæretici à diabolo miſſi & afflati abutuntur, conferre voluerit, ſtatim intelliget. Chriſtus vt orbem terrarum cæleſti ſuæ legi ſubiugaret, idiotas, piſcatores, *Matth. 4.* ac ſimplices homines non diuites, non potentes, non doctos, non eloquentes elegit, ne aliquis ſuſpicari poſſet, Chriſtianam religionem ac fidem aut aliunde quàm à Deo allatam, aut mundo humani ingenij viribus, non Dei ope & præſidio, fuiſſe perſuaſam. Bethlehem enim tenue opidũ, vel potius humi- *Luc. 2.*

lem

lem vicum, naſciturus patriam elegit. Hieroſolymam, florentiſſimam ciuitatem, ignominiæ crucis ſuæ teſtem eſſe voluit. Nam ſi potentiſſimam vrbem Romanam, in qua naſceretur elegiſſet, quis mundi conuerſionem non illius ciuitatis potentiæ adſcripſiſſet? Si Cæſaris filius fuiſſet, quis non imperatoriæ maieſtati idem attribuiſſet? Sed vt humano generi perſpicuum eſſet illud opus Dei, omnibuſque notum eſſet, Chriſti diuinitatem eſſe, quæ mundum ad veram Dei ſuæque ſalutis cognitionem reformaret, non ſolum humile opidum, vbi naſceretur, elegit, verùm etiam pauperes, & idiotas Apoſtolos atque diſcipulos habere voluit. Quibus nihilominus non ſolum ea quæ natura aut ratione capi non poterant, prædicare mandauit; verùm etiam imperatores & reges, ac potentiſſimos principes, facundiſſimos quoque oratores, & philoſophos acutiſſimos, qui iis reſiſterent & repugnarent, inimicos dedit. His tamen ſuperatis atque deuictis, ſuam doctrinam amplecti perſuaſerunt, & in victoriæ argumentum, in illa ſibi inimiciſſima & ſuperbiſſima vrbe victoriæ ſuæ trophæa poſuerunt, domuſque Dei eccleſiæ Romanæ, contra quam portæ inferi non præualebunt, fundamenta iecerunt. Quod ſane, cùm illi nec exercitũ ducerent, nec opibus pollerent, nec eloquentiæ aut

Matth. 20.

Chriſtus quare idiotas, ignobiles & infirmos elegerit.

Matth. 16.

tiæ aut philoſophiæ præſidiis niterentur, ſine diuinitatis arcana ope fieri non poterat. Ideò Diuus Paullus inquit: Videte vocationem veſtram fratres; quia non multi ſapientes ſecũdum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt cõfundat fortia; & cõtemptibilia elegit Deus & ea quę nõ ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: & non glorietur omnis caro in cõſpectu eius: vt, quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Cor. 1.

Diabolus quare potentes miniſtros elegit.

Contrà diabolus, cùm errores plantare vult, clarum aliquem & facũdum oratorem, aut certè philoſophum acutiſſimum quærit, qui principes & potentiſſimos quoſque in ſuam factionem inducat: vt quod ratione nõ poteſt, vi & armis efficiat. qui ſi noſtra memoria principes quoſdam ac nobiles homines, qui ſuos præcones fouerent atque defenderent, ab initio in ſuas partes non induxiſſet, nihil potuiſſet efficere. Neque quiſquam adeò demens fuiſſet inuentus, qui illius cauſſam tueretur, ſi, quemadmodum Chriſtus fecerat, ita iſte præcones Euangelij ſui inter regum ac iudicum tribunalia, & carnificum lictorumque manus, vt ab iis vltimo ſupplicio afficerentur, quod Chriſti diſcipulis per

trecētos annos acciderat, inermes reliquiſſet. Quod cùm diabolus intelligeret, id egit in primis, vt præconibus ſuis principum, qui illos fouerent, fauorem & gratiam quæreret. nam ſi ſoli plebeij ſeducti fuiſſent, principes autem ita in fide conſtantes ſtabileſque māſiſſent, vt ſunt hodie plebeij, illorum impunita non fuiſſet audacia. Quod cùm diabolo non eſſet obſcurum, nihil ei ab initio viſum eſt antiquius, quàm vt præconibus ſuis principum aliquorum ac magiſtratuum cōciliaret fauorem: vt hoc modo vltimi ſupplicij animaduerſionem, quam, antiquas hæreſes ab inferis excitantes, ſecundum omnia iura, omneſque leges, quæ ante illorum aduentum ſeuerè obſeruabantur, commeriti fuerant, effugere poſſent. Ita illorum fauore ſubnixi, errores ſuos tutò ſeminarunt; & populi animis in ſuam factionem illectis atque pertractis, paullatim eò vſque progreſſi ſunt, vt quod aſtu non poterant, id vi & armis ſe facilè perfecturos putarent. Sic agere conſueuerunt miniſtri diaboli, qui niſi humanis auxiliis niterentur, cùm Deum ſecum minimè facere ſciant, ſtudiorum ſuorum profectum habere non poſſent. Quare niſi id in primis orbi perſuaſiſſent, vt præconibus ſuis ampla ſtipendia darentur, iam nullos haberent. quibus ſi mendicato viuendum eſſet,

Principum fauore hæretici ſubnixi errores ſeminarunt.

Suis præconibus hæretici ampla ſtipendia largiebātur.

quem-

quemadmodum nonnullis monachorum ordinibus; velut locuſtarum greges ſubitò perirent. Quos ſi rhetores desererent, eorum dogmata vt fumus ac fauilla deficerent. ſi verò principes & nobiles eorum cauſſam deſererent, aliamque defenderent, celeriter iſti miniſtri fidem ſuam ac religionem mutarét, & ad principum voluntatem conformarent: quod iam in pleriſque prouinciis factum videmus.

Simile.

Itaque dum omnes iſtorum rationes planè conſidero, tale aliquid reperio, quale de Mahometo memoriæ proditũ eſt. Qui cùm impiam illam ſuperſtitionem propagare vellet, illud in primis egit, vt nonnullis, quos religionis ſpecie in ſuam factionem illexerat, viuendi vt luberet poteſtatem faceret. qui verò in ſuas partes tranſire nollent, eos omnes vexandi ac ſpoliandi facultate permiſſa, ſuorum ope vi & armis, vt illam ſuperſtitionem amplecterentur, cogere inſtituit. Ita iſti cùm ſanctitatis ſpecie in ſuam factionem cõplures allexiſſent, quod reliquum videbatur, illorum vi & armis cogendum exiſtimarunt; eoque modo magnam hominum multitudinem ſpe prædæ in ſua caſtra allexerunt. Interea Deum ſibi obligatum atque deuinctũ, quòd neque vinum bibunt, niſi ſitiant, vt ipſi quidem dicunt; ſed ego verbis eorum non

Mahometo ſimiles hæretici eſſe cenſentur.

Deum ſibi obligatũ hæretici affirmabant.

 credo,

credo, neque cibum capiunt, niſi eſuriant, arbitrantur. At Turcarum, qui abſtemij viuunt, maior eſt abſtinentia.

Sed vt illis aliquid demus, quantum inter Apoſtolorum, eorumque qui illorum veſtigia ſequuti ſunt, & iſtorum propheṫarū exiguam abſtinentiam intereſt? Longè verò aliter illi legē Euangelicam, aliter iſti ſua dogmata promulgarunt. Illi ſiquidem ampliùs quàm trecentis annis omne ſuppliciorum genus, ipſamq́ue mortem ab imperatoribus & tyrannis patientiſſimè ſuſtinebant. qui cùm iis minimè repugnarent, neque quemquam occiderent, aut vllius hominis bona raperent; factum eſt, vt orbem ea patientia, iiſq́ue artibus ſuaui Chriſti iugo ſubderent. Iſtorum autem quàm exigua, quàm breuis patientia fuerit, obſcurum non eſt: quæ ſanè eorum, qui vlciſcendi occaſionem atque opportunum tempus exſpectāt, patientiæ ſimilis fuit. Quidquid autem ſit, ita mundum offenderunt ſua crudelitate, qua in propagādo plantandoq́. ſuo Euangelio, quod Chriſti eſſe mendaciter dicunt, abuſi ſunt: vt ſi illud, quod fieri nullo modo poteſt, verum eſſet, omnem ſani iudicij hominem, ne ipſis fidem accommodet, impediuerint. Apparet igitur aduerſariorum in hac re inſignis iniquitas, qui nouis iudicibus ſuis falſis perſuaſerunt, ne

Inter legis euangelicæ prædicationē & hæreticorū ſectæ promulgationē quod ſit diſcrimen.

Sua crudelitate hæretici mundum offenderunt.

nobis

nobis liberam audientiam darent; ſed potius ipſimet arma caperent, quibus, ne quis reæ partis, patrum ſcilicet maiorumque noſtrorum & illorum, religionis ac fidei patrocinium ſuſcipere auderet, per vim agerent atque prohiberent.

DE DOCTRINÆ ADVERSARIORVM CVM SVORVM FALſorum iudicum cupiditate conuenientia, quæ tantum in iis illius doctrinæ amorem accendit, vt de maiorum ſuorum religione & fide iam audire nolint.

CAPVT XIII.

MAGNA eſt octaua iniquitas, qua in nos non ſolùm aduerſarij, ſed etiam eorum falſi iudices abutuntur. tanto enim opinionum ſuarum tenentur affectu, vt neque iam aliquid, quod ad maiorum noſtrorum defenſionē pertineat, audire ſuſtineant; neque in vllo ſiue ſcripturæ diuinæ, ſiue antiquorum patrum libro, quicumque tandem in eorum manus veniat, aliud niſi obſcurum aliquem locum quærant, ex quo aut errorem ſuum veritatis ſpecie ac fuco exornent, aut fidem noſtram oppugnent. Mentior, niſi aduerſariorum coryphæus ipſe Lutherus hoc ſibi in hac cauſſa propoſitū fuiſſe

Hæreticorum octaua iniquitas.

Epiſt. ad Argentinenſes.

 confite-

confitetur, cùm ſe quinquennio grauibus curis anxium, in hanc cogitationem incubuiſſe ſcribit, vt contra hæc Chriſti verba, *Hoc eſt corpus meum*, nouam aliquam hæreſim conderet. Cùm probè perſpicerem (inquit) hac re papatui valdè me incommodare poſſe. Qui verò ab iis capti ſunt, nouum iſtud doctrinæ genus adeò iucundum, ac ſuis affectibus conueniens eſſe deprehenderunt, vt eam magnopere vellent eſſe veram. Nam (vt ait

Lactantius. Lactantius) prauæ vitioſæque mentes aut omnino vera non intelligent, hebetatur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ ſenſus omnes grauant; aut etiam ſi intelligēt, diſſimulabunt tamen, & vera eſſe nolent; quia trahuntur à vitiis, & ſcientes malis ſuis fauent, quorum ſuauitate capiuntur, & virtutis viam deſerunt, cuius acerbitate offenduntur. Quare ſine dubio malunt id eſſe fictum, quo deſideriis ſuis renunciare cogūtur.

Iſti igitur affectus ſuos in hàc præclara religione atque doctrina, quæ illorum cupiditatibus omni ex parte reſpondet & conuenit, tam altè fixerunt, vt eos iam reuellere vix poſſint. Itaque tanto ſtudio & ardore animi

Hæreticorum ſectam recipientes, quales antea fuerint oſtendit. ad eā defendendā, ediſcendā & promouendā rapiūtur; vt luculēter oſtendant, quanto antè deſiderio tenerētur inueniendi talē aliquam ſectam, quæ illis aliquanto amplius libertatis licen-

licentiæque concederet, quàm illa antiqua & auſtera maiorum noſtrorum religio tam delicatis hominibus, comatulis illis & toroſulis albæ gallinæ filiis, qui nihil libidini ſuæ contrarium ferre poſſent, grauis & importuna permitteret. Quos mihi videre videor venientem illam nouam ſectam amplecti, & huiuſmodi gratulatione ſuſcipere. O ſuauis & iucunda religio! ô lex ſalutaris! quam iam dudum optauimus, tibi feliciſſimum hunc in orbem terrarum gratulamur aduentum. Illa antiqua, quam à maioribus traditam acceperamus, valdè moleſta erat & grauis. tam multa ſiquidem noſtræ voluntati repugnantia iubebat, vt ferendo illius iugo defatigati propè ſuccumberemus. Idcirco qui nos illius ſeruitutis graui ſarcina liberaret, aliquem magnopere requirebamus. Quid multis opus eſt? illa ieiunium indicebat inuitis, illa certis hebdomadæ diebus à carnibus abſtinere cogebat: illa quadrageſimale ieiunium preſcribebat. Quid, quòd exomologeſin, peccatorumque confeſſionem imperabat? Quid, quòd Miſſis nos intereſſe, templa frequentare, precibus incumbere, in Miſſa, veſperis, matutinis, per duas aut tres horas hærere cogebat, aliaque multa mandabat: ad quæ cùm nullo deuotionis affectu impelleremur, nihil eo vitæ genere acerbius,

Quanta alacritate ſenſuales hæreticorum ſectam amplexi ſunt, oſtenditur.

Quare delicijs dediti legem Euangelicam libenter abijciebant.

nihil triſtius erat. nam ſi talia facere deſtitiſſemus, ſtatim ſequebatur infamia; quæ ſi faceremus, iis nihil durius nobis accidere poterat. Sed de illis quid ô præclara lex iudicas? an ea ad rem pertinere videntur? Minimè, minimè ait illa. Nam ex iis complura ſunt impia; quæ verò vtilia ſunt, de iis minimè vobis laborandum eſt. Chriſtus enim pro vobis ea fecit. ille pro vobis ieiunauit, ille pro vobis in pœnitentiæ operibus laborauit, ille pro vobis mortem ſubiit, ille pro vobis in cælum aſcendit. Ita neque ieiunare, neque pœnitentiam agere, neque Deum precari, neq. illius præceptis obtemperare, neq. mori, neque in cælum peruenire debetis. Satis eſt enim quòd Chriſtus illa pro vobis geſſit, ſatis eſt quòd pro vobis in cælum Chriſtus aſcendit. quid opus eſt vobis tantopere laborare, vt illius, quem in cælo eſſe non ignoratis, veſtigia ſequamini? ille res veſtras etiam ibi curabit. Manete ergo domi veſtræ, & ſecuri in vtramque aurem dormite. ille vos in Adonidis horto collocauit, ille vos omni ex parte ſecuros voluptatibus circumfluere voluit. Nec Epicurus vmquam ſuis diſcipulis plus libertatis licentiæque conceſſit, quàm Chriſtus vobis tribuit. Ede, bibe, lude; hac enim ratione poſt mortẽ nullo negotio rectà euolabis in cælum, nõ minus celeriter, quàm quiuis

Ironicè dictũ.

Hæreticorum ſecta quæ præſcribebat proponuntur.

Marc. 16.

Hæreticorum ſecta plura falſa dogmata docebat.

quiuis ex ſanctis illis Anachoretis. Chriſtus vos ab omni legis ſeruitute, & ab omnium hominum obedientia liberauit. hæc omnia falſa dogmata hæreticorum ſecta docebat.

Vix dum iſtos huiuſmodi ſuauiſſima oratione demulſerat, & tamquam ex horrentibus carceris tenebris eductos, ac vinculis abſolutos, in optatiſſimam lucem, & iucundiſſimam libertatem eduxerat, cùm eam certatim amplexi deoſculátur, laudant, in cælum ferunt, omni alteri legi, quæ vmquam in orbem allata fuerit, præferendam iudicant. illiuſque inuentores & prædicatores omnibus magiſtris atque doctoribus, qui vbicumque gentium vmquam antè fuerant, quantacumque ſanctitatis & doctrinæ laude floruerint, anteponendos eſſe volunt. Illa Euangelica Samaritana non ita gaudio elata eſt, cùm Meſſiam inuenit, vt iſti triumphant & exſultant, quòd in huiuſmodi ſectam, & in tales magiſtros, quorum oratione nihil dulcius, nihil iucundius, inciderunt. Illa, quòd Chriſtum verumque Meſſiam inueniſſet, non tanto tumultu patefecit; quanto iſti de iſto neſcio quo nouo ſpiritu, qui è ſomno excitatus, vno halitu ſic illos afflauit, & ſua diuinitate perfudit, vt talem religionem omnibus maioribus ſuis incognitá inuenerint, gloriantur, ac vbiq. ſe iactant. Vnde ſe Deo gratias

Ab hæreticis decepti magna alacritate eorum ſectam amplectebantur.

Ioan. 4.

Diſsimile.

Suam ſectam hæretici à Deo eſſe contendebant.

agere ſimulant, quaſi hanc ab illo traditam acceperint: certè hanc ad Deum tamquam ad auctorem, falsò quidem referre conſueuerunt. & quamquam eius auctores homines fuiſſe certò ſciant, tamen omnium, qui vmquam extiterunt hominũ ſe feliciſſimos arbitrantur, quòd talem religionem ac libertatem, immo licentiam, quam dudum deſiderauerant, inuenerunt.

Litigatori hæretici aſſimilantur.

Qui ſanè nec iniuria litigatori alicui, qui tametſi nihil iuris ſe habere intelligat, litem tamen obtinere conatur, ſimiles mihi videri ſolent. Quid igitur ille litigator? Accedet ad aliquem probum atque integrum iuris interpretem, à quo cùm audierit ſe iniuria laborare, talemq́ue cauſſam iuri legibuſq́ue contrariam relinquendam eſſe, non contentus ad alium ſe confert. à quo cùm idem audierit, alium atque alium quæret, donec ad extremùm in adoleſcentem aliquem, atque improbum cauſidicum incidat, qui ei dicat: Nõ rectè quidem, ſed iniuria laboras bone vir; verùm tamen vt litem obtineas operam dabo. O diuinum, inquiet, aduocatum! ô me felicem atque ſecurum, qui in talem patronum inciderim! Hunc igitur vnum obſeruabit, amplexabitur, colet; hunc laudibus in cælum feret; hunc omnibus aliis anteponet; huic amplam mercedẽ dabit: reliquos omnes

omnes vituperabit atque reprehendet, eoſq́. ſi cum̃ hoc vno conferantur, deliros, ineptos, fatuos, amentes, inſanos eſſe dicet. Vnde igitur tantus amor ſubitò exarſit? ex eo nĩmirum, quòd is ea dixit, quæ iſte libenter audiret. Idem iſtis noſtris erga nouos magiſtros ſuos vſu venit. hi enim ea dicunt quæ illi libenter audiunt; hi illorum aures blanda oratione demulcent; hi illorum animos ſuauiſſimè titillant, illis loquuntur placentia, eiſq́. proſpiciunt errores. Vnde fit vt illos cum ſua doctrina tanti faciant, vt iis ſolis ſe dedant atque permittant, paratique ſint credere Deum ipſum in cælo non eſſe, ſi ij tantum aliquid tale dicerent. denique eos propè Deos ſuos faciunt.

Quare nouos magiſtros hæretici libenter recipiunt.

Eſa. 30.

Sed operæpretium eſt animaduertere, inter affectum quo nunc ad iſtós rapiuntur, & eum quo fidem ſuam proſequebantur, cùm inter noſtros numerarentur, quantum interſit. tum moleſtum erat aliquid audire de fide, intereſſe concioni ſacræ, bonum aliquem librum legere, ex quo fidei ratio intelligeretur, aliquam temporis partem in ea lectione conſumere, nummum aliquem æreum dare, ex quo illius fidei ratio promoueri, aut prædicatores ali poſſent. Nunc verò iſtam religionem, quæ eorum affectibus mirè quadrat & conuenit, repertam tam ardenter & impo-

Diuerſus amor, quo ſuã ſectam hæretici nũc recipiunt, & quo antea legem Euangelicam retinebant, oſtenditur.

impotenter amant, vt non ſolùm omne ſtudium in ea diſcenda tractandaque conſumant, verùm etiam ſua ſponte & patrimonia vendant, vt pecunia quæ illius miniſtris ac prædicatoribus tribuatur, abundè ſuppetat, & reliqua omnia negotia miſſa faciant, vt auratos illos ſuos libellos legant. In priorẽ autẽ fidem ſuam eum affectum induerunt, vt eam cane peius & angue oderint; ita vt de illa nihil iam audire ſuſtineant. quòd ſi fortè aliud agentes, in alicuius Catholici concione deprehendantur, tum verò longè alia curabunt, ne in animos eorum penetrare poſſit veritatis oratio. Furor enim illis, vt ſcriptura ſacra inquit, ſecundum ſimilitudinem ſerpẽtis; ſicut aſpidis ſurdæ & obthurantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantãtium, & venefici incantantis ſapienter. Sed illis ſuperueniet, quod eadem ſacra ſcriptura conſequenter teſtatur dicens: Deus conteret dẽtes eorum in ore ipſorum, & molas leonum confringet Dominus; ad nihilum deuenient, tamquam aqua decurrens; ſicut cera quæ fluit, auferentur: ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem. Malitia nempe eorum excæcauit eos: ideoque nullum etiam librum ex iis, quibus fidei noſtræ defenſio cõtinetur, legere ſuſtinent. ex quibus ſi fortè aliquis in eorum manus venerit, nihil quod pro nobis

Catholicam fidem hæretici qualiter odio habeant.

Pſal. 57.

Sap. 2.

facere

facere videatur, credere, nihil intelligere volunt.

Quæ cùm ita ſint, minimè mirandum eſt, ſi ex iſtis tam pauci in viam redeant; & quidquid iis dici demonſtrariq́ue poſſit, ad veram fidem, & matris eccleſiæ gremium reuertantur. Quod Phariſæis quondam accidit, qui & auditis Chriſti ſermonibus, & viſis illis miraculis, & illius vitæ admirabili ſanctitate perſpecta, non modò meliores nõ ſunt effecti, verùm etiam illius doctrinam irridebant, & illam puriſſimam vitam, illa diuina miracula calumniabantur. Idem iſtis vſu venit. nam quidquid pro fidei noſtræ veritate in medium adferri poſſit, nihil aliud illi facient, niſi id deridere, calumniari, contemnere. Quòd ſi ſcripturæ locus adeò perſpicuus fuerit, vt illum in alium ſenſum detorquere non poſſint, tum verò præteruolabunt; ne ſi in eo diutiùs hæſerint, fidem ei commodare cogantur.

Hæretici Phariſæis ſimiles eſſe inueniũtur.

Audiui ego de quodam, cuius ſtultitiam, cum ſingulari impietate coniunctam, hoc loco præterire non poſſum. Is cùm intellexiſſet me concionem habuiſſe in eos qui dicũt, idololatriam eſſe, virginem matrem ſalutare, cùm dicimus, Aue Maria: in qua concione cùm inter alia dixiſſem, Deum in magnam idiotarum atque ſimplicium vtilitatem permiſiſſe,

Cuiuſdã hæretici ſtultitia & impietas oſtenditur.

miſiſſe, vt iſti, qui noſtro ſæculo de ingenij præſtantia tantopere gloriantur, in rebus adeò claris atque perſpicuis, vt obſcuræ poſſint eſſe nemini, laberentur & errarent; ne quis ſimpliciorum poſtea exiſteret, qui, cùm iſti ſe omnia obſcura ſcripturæ loca meliùs quàm totam antiquitatem intelligere gloriarētur, iis temerè fidem commodaret, cùm eos in tam manifeſtis rebus erraſſe vidiſſet, vt cùm iſti dicunt idololatriæ inexpiabili ſcelere ſeſe contaminare, qui matrem Dei virginem ſalutando dixerint, Aue Maria; an poteſt aliquis error eſſe manifeſtior? Quis enim fidelium eſt, qui cùm legat, ſanctum Angelum ad hoc à Deo miſſum, beatam virginem his verbis Deique iuſſu primum omnium ſalutaſſe, exiſtimare poſſit idololatriam, quod & ſanctus Angelus aliquando non modò feciſſet, ſed etiam Dei iuſſu imperioque feciſſet? Quis eos, qui malum & impium dicunt id facere, quod ſanctus Angelus ad Virginem miſſus officioſiſſimè fecerit, Diaboli ſpiritu afflatos neget? An non perſpicuum eſt huiuſmodi ingenia Satanæ arte cæcari, ne quod Archangelo Deus præcipit, id bonum eſſe intelligant? Cùm is inquam hæc omnia audiſſet, nec haberet quod contradiceret, cùm factum illud neque negare, neque aliò detorquere poſſet, locum hunc præteruolans, tantum

Deus quare hæreticos in manifeſtos errores labi permiſit.

Luc. 1.

Sacratiſſimā Mariam virginem ſalutare Angelus nos docuit.

tum exclamauit. O ſcelus! ô impoſtorem! me eo nomine appellans, quòd rectè factum eſſe defenderem, quod Angelus Dei fecit; neque nos idololatras eſſe, cùm virginem Dei matrem ſalutamus; niſi fortè Angelus idem Dei iuſſu faciens idololatra fuit. Quæ cùm ita ſint, vter noſtrum impoſtor eſt? egóne, qui ſcripturæ ſacræ auctoritatem ſequor, an ille, qui illius, quam & Deus pater ſummo honore dignatus eſt, & cui Dei filius obediuit, & quam beatus Angelus humiliter ſalutauit, honorem impedire conatur? Etenim ſi ſacratiſſimam Virginem Mariam ſanctus Angelus, quia Dei mater ſtatim futura erat, reuerenter ſalutare debuit; quare & nos eandem, poſtquam Dei genitrix verè effecta eſt, humiliter ſalutare non obligabimur?

Virgo ſacratiſſima à nobis humiliter ſalutãda eſt.

Luc. 1.

Sed iſtos cæcos, cæcorumque duces miſſos faciamus, iamque ad propoſitum reuertamur, & quod inſtituimus, de ſingulari iſtorum in hanc nouam religionem amore dicamus, quo illi ebrij vel potiùs cæci, in ea errores vllos eſſe, ſibi perſuadere non poſſunt; tametſi complures, vt is de quo iam diximus, adeò perſpicui ſunt, vt ſponte in oculos hominum incurrant. Ea autem amoris flamma in eorum animis tam vehementer exarſit, propterea quòd inter iſtud doctrinæ genus, & eorum deprauatos affectus, maximè conuenit.

Matth. 15.

uenit. Qua ex conuenientia etiam illud naſcitur, vt illi & facillimè in iſtos errores induci, & difficillimè ex iiſdem reuocari deducique poſſint. Ita enim natura cõparatum eſt, vt quod volumus facilè credamus; quod autem falſum & fictum eſſe cupimus, id in animum difficillimè inducere poſſumus. Vt enim mulier impudicitiæ aſſueta ad caſtitatẽ & continẽtiam ægrè reuocari poteſt, propter eam quam ex libidine capit voluptatem: ita iſti propter hanc meretricem, quæ eos omni, quam caro deſiderat, voluptate perfundit, deſerto matris Eccleſiæ Romanæ caſto gremio, vt ad pudicam matrem redeant, quæ huiuſcemodi non ferret inſaniam, adduci non poſſunt. Philoſophus quidam Stoicæ ſectæ, cùm ex eo quæreretur, cur ex illius diſcipulis plerique eum deſererent, & in Epicuri caſtra tranſirent, ex Epicureis autẽ nulli ad eum tranſirent; eleganter luſit: Ex viris, inquit, eunuchi fieri poſſunt; ex eunuchis viri non poſſunt. His verbis oſtendit, bonum virum facilè effeminari, atque ad improbitatem traduci poſſe: quo facto, vix vmquam ad animi ſanitatem atque iuſtitiam reuocari poteſt. Facilè ſiquidem homo labitur, difficilè ſurgit. Veritas enim (vt ait Lactantius) odio indoctis eſt ob inſitam ſibi auſteritatẽ, quam natura hominum, procliuis in vitia, pati non poteſt.

Mulieri meretrici heretici comparantur.

Philoſophus quidam Stoicus.

Lactantius.

poteſt. Nam quia virtutibus amaritudo permiſta eſt, vitia verò voluptate condita ſunt, illa offenſi, hac deliniti feruntur in præceps, ac bonorum ſpecie falſi, mala pro bonis amplectuntur.

Quod iſtis miſeris atque deceptis in hac noua religione vſu venit, quæ illis ita & aures titillat, & magnam vitæ licentiam præbet, & illecebris ſuis fallaciiſque blanditur, atque eorum cupiditatibus & libidinibus adeò fauet, vt etiam omnium facultatum ſuarum diſpendio eam veram eſſe vellent. Quid? adeò illa fucata, ſuauis, ornata, & humanis ſenſibus grata eſt, vt ex doctorũ virorũ numero non pauci, dũ viget ætas, dũ florent anni, eam quá alioqui falſam eſſe non dubitant, amplectantur, ſe ante mortẽ pœnitentiá acturos, & eam relicturos eſſe confiſi, vt hoc modo & interea huius vitæ deliciis ac voluptatibus perfruantur, & ab his ad æternæ vitæ delicias breui pœnitentię compendio tranſeant: quẽadmodum ij faciunt, quos ante mortem illi ſectæ renunciare, & ad catholicam fidem reuerti videmus. Callidiſſimum genus hominum, qui etiam ipſi Deo, ſi fieri poſſet, imponerent. Qui cùm in Euangelio diuina voce pronunciaſſet; Regnum cælorum vim patitur, in quod per multas tribulationes ingredi neceſſe eſt; vnde & Prophetæ & Apoſtoli, & ceteri

Hæreticorum ſecta hominũ cupiditatibus fauet.

Matth. 11. Act. 15. Per multas tribulationes cælum ingredi oportet.

& ceteri ſancti viri, quos laudat antiquitas, ſibi ipſis magnam violētiam intulerunt, & animi perturbationes vt carnales affectus refrenarent, quibus nouum iſtud doctrinæ genus frena laxat; & nihilominus iis, qui abſque vlla violentia per illam nouam & amœnam vitiorum viam iter fecerint, tá facilem & expeditum in regnum cælorum introitum pollicetur, quam illi veteres ſancti, qui virtutis laude præſtantes, Dei quoque amicitia digni fuerunt, poſt tantas victorias & triumphos conſecuti ſunt. quibus iſti longè calli-diores fuerunt, & vt illis quidem videtur, ſcripturam ſacram non modò meliùs cautiuſque legerunt, verùm etiam intellexerũt.

Ezech. 18. Ex ea namque cùm didiciſſent, Deum nolle mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat; & illud, In quacumque hora ingemuerit peccator, & conuertetur ad me, omnium iniquitatum eius non recordabor; tum apud ſe ita iſti hæretici cogitare cœperunt: Cùm Deus adeò bonus ſit, vt peccatoribus ita facile ignoſcat, viuamus arbitrio noſtro, donec huius vitæ voluptatibus deliciiſque ſatiati ſimus. cùm verò ad extremum ventum erit, & impendente morte vel morbo, vel ſenio, debilitati corporis membra defecerint, tum demum reuertemur ad Deum, & vnius ſuſpirij compendio, quo nos peccaſſe dicemus, in cælum

Hæretici iniquum conſilium cogitarunt, vt Dei miſericordia abuſi, delicius ſatiarentur.

in cælum rectà euolabimus. Nam cùm ignis purgatorius non ſit, quemadmodum ex hoc noſtro nouo falſoque Euangelio didicimus, quid erit quod nos potiùs quàm illos antiquos cum omni ſua viuendi auſteritate ab æterni regni felicitate retardet? qui ſanè fruſtra laborarunt, cùm in cælum per illam arctam difficilemque ſemitam, quam elegerunt, enitendum putarunt. Qua in re non ſolùm decepti, verùm etiam ſtulti fuerunt, cùm Chriſtum pro omnibus peccatis noſtris tanta paſſum eſſe, & illa omnia, quæ illis præclara videbantur, feciſſe, minimè conſiderauerunt. Matth. 7.

En quale conſilium plerique adoleſcentes ab iſto hæreticorum nouo falſoque Euangelio acceperunt, cui hac ipſa de cauſſa, donec huius vitæ deliciis ac voluptatibus per ætatem frui potuerunt, fidem ſeruare parati ſunt. Et ſanè, ſi ſalutis iter eſſet tam planum ac facile, quàm planum ab iſtis fingitur, quid Ioanne Baptiſta cum ſuis locuſtis & tota illa vitæ auſteritate ſtultius? quid Apoſtolis Petro & Paullo dementius? Ex quibus hic corpus ſuum caſtigabat, ne fortè cùm aliis prædicaſſet, ipſe reprobus efficeretur. Quid reliquis ſanctis inſanius, qui tam amœnum & iucundũ ſalutis iter inuenire non potuerunt?

Quam viam ſancti ſeruarant. Matth. 3. 1. Cor. 9.

Profectò illi omnes fuere ſtultiſſimi, ſi

Spiritus ſanctus iſtis tam planam & facilem ſalutis viam oſtendit, quam illi in ſcripturarum campo, tanto ſtudio, opera, diligentia diu multumque quæſitam, numquam inuenire potuerunt. Nam cùm illi hæc Domini
Matth. 7. verba in Euangelio legerent; Arcta & anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam; & illud Abrahæ ad eum
Luc. 19. qui diuitiis aliquando floruerat, Fili recordare, quòd recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem mutata ſorte,
1. Pet. 4. hic conſolatur, tu verò cruciaris: item Petrũ Apoſtolorum coryphæum: Vix iuſtus ſaluabitur, impius autem & peccator vbi parebunt? Cùm hæc inquam ſcripturæ ſacræ tonitrua audiſſent maiores noſtri, iure meritoque timuerunt, ſi ſpatioſam illam & amplã libertatis ac licentię viam, per quam plurimi,
Matth. 7. vt omnes, qui nouum hoc doctrinæ genus amplexi ſunt, iter faciunt, ne ſe ipſi fallerent atque deciperent. Talibus igitur Dei verbis illi fidem habentes, ſe ipſos in tuto collocare, quàm, ſi iis non crederent, in amittendæ ſalutis diſcrimine periculoque verſari maluerunt. Itaque an illos cum iſtis nouis Dei a-
Hæretici ſtulti, ſancti autẽ patres ſapientes cẽſendi ſunt. maſiis ſtultos dicere debeam neſcio. certè cùm mihi verum dicere liceat, nõ modò non ſtultos, ſed etiam iſtis longè ſapientiores illos
Eccle. 3. fuiſſe dicam. Nam qui amat periculum, peribit

ibit in illo: ſapientiſque eſt partem tutiorem eligere, quemadmodum ſtulti temerè ſeſe in omne diſcrimen coniicere; quod neque videre, neque de eo audire ſuſtinet, donec irretitum eſſe ſe ſentiat. *Sapiens & ſtultus differunt.*

Quod iſtis vſu venit, qui hæc ſcripturæ non verba, ſed fulmina, quæ ſanctis illis tantum terroris incuſſerant, tantam ſuæ ſalutis ſollicitudinem attulerant, neq. legere, neque iis fidem commodare dignantur, ſed nouis iſtis magiſtris credere malunt, qui omnia tuta promittunt, nec quidquam iis ad ſalutem aliud, niſi vitam in omni licentia ac voluptate actam, modò pſalmos illos Marotianos hilariter ſuauiterque cantillent, neceſſarium eſſe definiunt. *Heretici omnia ſibi tuta & ſecura eſſe promittunt.* Scilicet his gradibus Ioannes Baptiſta aſcendit in cælum, Paullus autem Apoſtolus & reliqui ſancti, tam multa, tam grauia paſſi, Chriſtum magiſtrum præeūtem hoc modo ſecuti ſunt. Et iſti non minus facilè, quàm illi, poſt tantos labores & ærumnas recipientur in cælum. Nam ſecundum huius noui Euangelij ſententiam, cùm Chriſtus pro nobis paſſus ſit, quantæ inſaniæ eſſet ab illo ſumere exemplum; quemadmodum Petrus Apoſtolus hortatur dicens: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exēplum, vt ſequamini veſtigia eius. *1. Pet. 2.* Sed ſi vera eſſet eorum ſententia, cur paſſus ſit Chriſtus,

Petrus non intellexit. neque enim alia ex cauſſa paſſus eſt, niſi vt nos omni moleſtia liberaret. infinitum eſt illius meritum; & pro toto mundo non ſolùm ſufficienter, ſed, vt iſti theologi falſi ſomniant, etiam efficaciter paſſus eſt. Cùm igitur pro Turcis, Iudæis, Gentilibus, non minus quàm pro hæreticis ille paſſus ſit, cur nõ omnes æquè ſalui fierẽt? Sed hæc alia quæſtio eſt, quam ſi modò ſolueremus, huius noui Euangelij amatorum delicias fortaſſis interrumperet, quod iis moleſtum eſſet. tam gratum enim iſtis eſt hoc nouum doctrinæ genus, nullum vt aliud recipiendum putent. Cuius ſanè admirabilis pulchritudo eſt, quæ tot homines ſæculo deditos, & ſuperbiæ, voluptati, auaritiæ ſeruientes, in ſui amorem traxerit atque ſopiuerit.

Prouerb. 7. Eſt apud Sapientem elegantiſſima per falſam doctrinam ſeductionis hominum imago depicta, aut certè ſub ſpecie mulieris adulteræ, quæ iuuenum animos in ſui amorem allicere conatur, adumbrata deſcriptio. Ipſius autem Sapientis, quibus filium hortatur vt falſæ doctrinæ lenocinium caueat, verba ponemus. Dic ſapientiæ (inquit) ſoror mea es, & prudẽtiam voca amicam tuã; vt cuſtodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba ſua dulcia facit. Et paullò poſt: Irretiuit eum, inquit, multis ſermonibus, & blanditiis

Falſæ doctrinæ ſub ſpecie mulieris adulteræ deſcriptio ponitur.

labiorum

labiorum ſuorum protraxit illum. Statim *Ibidem.*
eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam,
& ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur,
neſciés quòd de periculo animæ illius agitur.
Ita omnis falſa doctrina blanditiis ſuís & ſua- *Simile.*
uitate verborum improuidam ad ſe iuuentu-
tem trahit; quæ, quemadmodum bos ad vi-
ctimam ducitur, ita periculi ſui immemor,
ſolam pręſentem conſiderat voluptatem. Sed
viæ inferi domus ęius, penetrantes interiora *Ibidem.*
mortis. Quod illa vis & magnitudo amoris,
qua nouam hanc meretricem colunt, proſe-
quuntur, obſeruant, neque videre, neque
conſiderare, neque credere iſtos ſinit, quid-
quid iis dicatur aut fiat. Sunt enim illius phil- *Hæretici falſa doctrina miſera ſuauitate decepti ebrij eſſe cenſentur.*
tris capti, & noui cuiuſdam muſti, quod illa
iſtorum affectibus ac deſideriis planè confor-
me iis propinauit, miſera & falſa ſuauitate
adeò ebrij, vt neque videre poſſint quid ab
illa dicatur, neque illius verbis fidem, neque
imperiis atque præceptis obedientiam dene-
gare audeant, etiam ſi iis patrem aut fratrem
necare imperaret; neque de imperij qualitate
quærendum putent. Et ſanè illud decretum
quo huius ſectæ magiſtris quidquid illi dixe-
rint fidem habendam putant, quàm impotē-
ter in eius doctrinæ atque in illorum magi-
ſtrorum amorem abrepti ſint, euidenter oſtē-
dit. Aduerſarij ſiquidem aſſeuerationibus

Hæretici ſuorum falſorum magiſtrorum amore ducti, ab illis veritati fideíque repugnantia recipiunt.

quibuſdam frequenter vtuntur, multaque non argumentis, non ſcripturæ teſtimoniis, ſed ſola ſua auctoritate confirmant. Tantus eſt autem iſtorum in magiſtros amor, tanta obſeruantia, vt quidquid ij dixerint, id iſti pro oraculis habeant, de quibus dubitare fas nõ ſit. Vt verbi cauſſa, cùm aduerſarij negãt, maiores noſtros diuinas intellexiſſe ſcripturas, id iſti ſtatim credunt. ſed cùm ab iis quęritur, qui id fieri poſſit, præſertim cùm iſti ipſi eas planas omnibus ac faciles eſſe dicant: Intellexerunt illi quidem, inquiunt, ſed tam improbi ac impij fuerunt, vt verum dicere noluerint. Quod cùm aduerſarij verbo poſuerint, id iſti ſtatim verum eſſe credunt; nec tanti criminis, quod patribus maioribuſque ſuis adſcribitur, vllam probationem requirunt, ſed iis ſatis eſt, quòd eorum magiſtri id ita ſe habere dicant. Item cùm dicentibus nobis, hæc ipſius Chriſti de Euchariſtiæ ſacramento loquentis eſſe verba; Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus; contrà illi magiſtri, Non eſt illius corpus inquiunt, ſed corporis ſignum aut ſymbolum; credunt, nec ab iis quærunt, à quo didicerint, Chriſti non corpus eſſe, ſed ſignum. neque enim à Deo id vmquam audierunt, ſed ipſi hoc ita ſe habere; non verbi Dei, ſed verbi ſui auctoritate confirmant. Ita ſi eorum diſcipulos vrgeas,

cur

cur in hoc myſterio nihil aliud niſi ſymbolũ eſſe credant, nullam rationem adferent, ſed ſola magiſtrorum ſuorum auctoritate nitentur. Quod profectò tale eſt, acſi apertiſſimè dicerent, nos in magiſtrorum noſtrorum verba iurauimus, quidquid ij dixerint, etiam ſi nullo teſtimonio confirmetur, etiam ſi cum ipſo Dei verbo pugnet, ei tamen fidem habere decreuimus. tantum enim illorum, qui nobis religionem tam gratã atque iucundam excogitarunt, amori debemus, vt iis, niſi omnia quæcumque dixerint, pro veris amplectamur, gratias nullo modo referre poſſimus. Tam ardens iſtorũ erga aduerſarios amor eſt.

Hæreticos in ſuorum magiſtrorũ verba iuraſſe, oſtenditur.

A iudicibus, qui adeò fauent alteri parti, quid iuris, quid æquitatis exſpectari poteſt? certè illa altera pars ius ſuum apud tales iudices numquam obtinebit. Quare iure meritoque ab eorum ſententia appellare poteſt. Vt enim ſi quis coloratum vitrum ante oculos habeat, quidquid per illud aſpexerit, eodem colore tinctum videbitur: ita qui inter mentis oculos & rem aliquam odij aut amoris interponit affectum, ita eam conſideret neceſſe eſt, vt iuxta illius affectus qualitatem vel bona vel mala eſſe videatur. Ita qui amat, omnia laudat; qui odit, omnia vituperat. Ex quo fit, vt iſti quidquid huius nouæ doctrinæ genere continetur, non modò diligant, ſed

Simile.

Odij vel amoris affectus quid præſtet oſtenditur.

etiam ament, atque omnes qui hanc ſiue ſequuntur ſiue defendunt, qualeſcumque tandem illi ſint, tanti faciant, vt quidquid ij dixerint, etiam ſi peſſimum ſit, optimum iis eſſe videatur. Contrà antiquam illam religionem ac fidem, quam ſemel abiecerunt, tanto odio proſequuntur, vt in ea nihil ſit quod illi non reiiciant atque condemnent, antequam cuiuſmodi illud ſit, intelligant. Qui verò illam ſequuntur atque defendunt, in eos omnes tametſi virtute præſtantes, tanto odij ardore inflammati æſtuant, vt quidquid illi aut dicant aut faciant, id iſtis impium ac nefarium eſſe videatur. Quare ſi ab eorum ſententia prouocamus, præter id quod mali & illegitimi iudices ſunt, donec iſtæ amoris tenebræ, quæ illorum animis adferunt cæcitatem, iudiciumque corrumpunt, depulſæ fuerint, num illis facere videmur iniuriam? Nihil profectò minus.

Amoris tenebræ cæcitatem adferunt.

Atque ſingularis fuit illa aduerſariorum calliditas, qua doctrinæ genus diſcipulorum ſuorum cupiditati ac libidini accõmodatum excogitauerint, vt & eos in illius amore amplexibuſque ſopirent, & antiquæ religionis ac fidei ſanctitatem veritatis ſociam & alumnam, atque illam honeſtam doctrinæ, quam maiores eorum coluerant, ſeueritatem, in tantum apud eos odium adducerent. Nec

minor

minor fuit iſtorum imprudentia, vel potius ſtultitia, qui eas inſidias non cauerunt, quibus ita ſe circumueniri capiq́ue paſſi ſunt, vt in re tam graui tantiq́ue momenti tam inſignem in nos iniquitatem admitterent. Sed de his hactenus. Veniamus nunc ad nonum caput iniurię, quam iſti nobis faciunt, quæ reliquis non minor reperietur.

DE ISTORVM FALSORVM IVDICV́M INIQVITATE, QVA *maiorum ſuorum fidem propter poſteritatis peccata condemnant, tametſi maiores in cauſſa non ſint, cur eorum poſteri peccent maléque viuant.*

CAPVT XIIII.

QVOD ad iniquitatis, quam aduerſarij hic in nos admiſerunt, dum ſtudioſiſſimè agunt vt iudices ſui maiores noſtros ſtultè impieq́ue condemnent, nonum caput ſpectat; illud in primis dicendum eſt, hanc ſcripturæ eſſe ſententiam: Iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij ſuper impium. Ita qui peccauit, ei peccati ſui pœna ſoluenda eſt, innocentiam autem omnia iura pœna ſupplicioq́ue eximunt. Ante omnia igitur quærendum erat, quinam in hac cauſſa peccaſſent, ne fortè de aliquo

Nona hæreticorum impietas et iniquitas refertur. Ezech. 18.

de aliquo temerè iudicaretur. Aduerſariorum autem iudices cùm ſint falſi & illegitimi, nihil hic inquirendum putauerunt, ſed indifferenter, prout apud eos accuſabamur aut nos aut maiores noſtri, ita ad accuſatoris arbitrium ſententiam ferebant; atque hos modò damnabant, illos abſoluebant; contrà quos heri abſoluerant, eos hodie condemnabant; & quos cõdemnauerãt, eoſdem paullò poſt abſoluebant: tantaque hic ſententiarum varietas erat, tam crebra mutatio, vt in quo tandem conſiſterent, incertum eſſet. Nam patres ſuos modò condemnant, eoſque Euangelium & fidem corrupiſſe pronunciant; modò abſoluunt. nunc enim eos Euangeliũ intellexiſſe aiunt, paullò poſt idẽ negant; illos fatuos & idiotas fuiſſe dicunt: nec tam acuto ingenio præditos, vt Euangeliũ, quod omnibus planum & facile eſt, intelligere potuerint. Ita pro accuſatorum libidine patres ſuos & noſtros modò accuſant, modò purgant; modò condemnant, modò abſoluunt. quos ſi aduerſarij irriſerint, iſti quoque irrident; ſi vituperauerint, iſti quoque vituperant; ſi conuicia in eos dixerint, iſti quoq. conuiciantur: nec ſibi quærendum putant, vtrùm id iure, an iniuria faciant. ſatis enim illis eſt ad condemnandum reum, accuſatoris vocem audire; nec quis ſit innocens, quis nocens, magnopere

Iniqui et falſi iudices ab hæreticis electi pro accuſatorum libidine iudicant.

gnopere

gnopere quærendum exiſtimant.

In ſacerdotes tamen & monachos ſæculi noſtri, quibus & fidei adulterationem, & hominum ſeductionem adſcribunt, totam accuſationis ſuæ vim impetumq́. conuertunt, Sed initio demonſtrauimus, ſi quid in fide noſtra erroris eſſet (quod non eſt) id in maiores noſtros recidere debere. hãc enim fidem, antequam naſceremur, mundus acceperat, & tenebat. Iuxta ſcripturæ verò ſententiam: Filius nõ portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij, cui peccandi auctor non fuit. Sed vt ad noſtra veniamus, facilè docere poſſum, fidei corruptionem, & populi Chriſtiani ſeductionem, ſi quæ eſt, nulli omnino ex noſtris, id eſt, Franciſcanis, non iis qui adhuc in noſtro ordine viuunt, non deniq. cuiquam eorum, qui nos ab ipſius ordinis exordio præceſſerunt, iure attribui poſſe. nam ante ſanctiſſimorum virorum Franciſci & Dominici tempora, antequàm vllus Franciſcanus natus eſſet, fides hæc, quam adhuc retinemus, ſequimur, prædicamus, orbi Chriſtiano cõmunis erat. Igitur ſi errarunt (quod eſt falſum) vnà cum ceteris profectò in errorem inducti fuerunt. nam cùm talis eſſet totius mundi fides atque ſententia, an illi omnium iudicio ſuũ prætuliſſent? Quid? quòd, antequam Franciſcus naſceretur, celebratũ erat

Contra ſacerdotes & religioſos viros hæretici impetum faciũt.

Ezech. 18.

Fidei noſtræ antiquitas.

erat œcumenicum Lateranenſe concilium, in cuius ſententiam tota eccleſia, non ſolùm Latina, verumetiam Græca conſenſerat? Quo in concilio fides noſtra vno eodemque totius orbis Chriſtiani conſenſu, nemine reclamante, comprobata atque ſuſcepta eſt. Quid, quòd etiam antè eodem omniũ Chriſtianorum conſenſu Berengarij impietas ita damnata eſt, vt ne vnus quidem exiſteret, qui ſacrilegum illum non condemnaret errorem, quem à ſuo auctore, totius mundi ſententia ſubſcribente, videret eſſe damnatum? Quæ cùm ita ſint, nónne catholica fides, toto orbe diffuſa, cuiuſcumq. hominis opinioni iure anteponẽda eſt? Quæ aũt noſtra erit audacia, quãta impudẽtia, ſi noſtrũ iudiciũ totius orbis iudicio preferamus? numquã tantũ facinus, ne tam impium ſcelus dixerim, aggredi auſi ſumus. Ex quo, nos ſeductores minimè eſſe, facilè intelligi poteſt. Seductor enim eſt, qui alium ſeorſum ducit, vt contra hominum communitatem priuatã aliquam opinionem ſequatur. Nos verò neminem ſeorſum abducimus, vt huiuſmodi opinionem ſequatur; ſed potius omnes admonemus, ne à catholica totius orbis conſenſione diſcedãt. Quod aduerſarij profectò non faciunt, qui homines ſeorſum trahunt, vt iuxta priuatam ſuam electionem & arbitrium non ſolùm à totius

Fidei noſtra confirmatio.

Berengarij impietas omnium catholicorum cõſenſu damnata fuit.

Seductor quis cenſendus ſit.

totius orbis communione ſeparatum ſtabulum habeant, verum etiam pro ſua libidine paſtores rectoreſque conſtituant. Ipſi ergo ſunt ſeductores. Quod ſi negant, doceant ſanè quo Chriſtiani orbis conſenſu, quo concilio fides eorum, quam nobis pro catholica, id eſt vniuerſali, obtrudere conantur, approbata fuerit; quæ non niſi in quibuſdam angulis recepta, certo temporis ſpatio viguit, in quibus modò nata, paullò poſt exſtinguitur. certè doceri non poteſt, eam aut totum orbem occupaſſe, aut omnia ſęcula eſſe complexam. Iſta enim fides, immo perfidia, quam nobis aduerſarij obtrudunt, nihil vmquam aliud fuit, niſi quorundam hominum priuata falſaque opinio, quam vt vniuerſali totius Eccleſiæ conſenſioni anteponamus, iſti præcipiunt. Ridiculum autem eſſet ac ſtultum, nos id facere, quos illi barbaros, fatuos, appellare cõſueuerũt. qui ſi verũ ſe dicere exiſtimant, hoc etiam cogitare deberent, barbarorum hominum atque fatuorum ſententiam nõ eſſe totius orbis Chriſtiani iudicio præferendam. Quòd ſi in fide noſtra & religione aliquid erroris eſt, nónne æquum erat aſinos iſtos & fatuos, cùm ob ſuam imperitiam & ingenij tarditatẽ acutiùs omnibus aliis videre non poſſint, in primis excuſatos habere? Certè ſi erraremus, nos in errorem Eccleſia

Hæretici ſeductores meritò dicũtur.

Priuatorum hominum opinionem eccleſiæ iudicio anteponere ſtultum eſſet.

catholica induxiſſet (quod abſit dicere) ſiquidem ipſam errare, cùm à Spiritu ſancto regatur, eſt impoſſibile; cuius iudicio, pro ea animi moderatione, quæ in nobis aut eſt, aut eſſe debet, noſtram non audemus, nec aliqua ratione poſſumus præferre ſententiam.

Aduerſarij ſuos iudices in noſtri odiũ accendunt.

Quæ cùm ita ſint, nónne perſpicuum eſt, aduerſarios nobis iniuriam facere, cùm in nos impetum faciunt, & iudicum ſuorum animos in noſtri odium accendunt? Quid enim noſtra innocentia clarius? quid manifeſtius? nam ſi mundus in iis erraret, nos illum ſaltem in errorem non induximus, ſed ipſi vnà cum toto orbe Chriſtiano eodem implicati errore teneremur. Quòd ſi noſtrã miſeriam & egeſtatem, ſi labores & ærumnas, quas pro huius fidei defenſione ſuſcipimus, ſi mercedis, quam pro tantis laboribus recipimus, exiguitatem conſiderarent aduerſarij, nos miſeratione digniſſimos iudicarent; nec dubium iis eſſet, quin religionem hanc & fidem, quam profitemur atque defendimus, niſi veram eſſe ſciremus, celeriter abiiceremus. maximè hoc tempore, quo libertatis ac licentiæ edicto in Gallia promulgato, liberum eſt ibi vnicuique ſentire & credere quod videtur, ſiue Turcarum, ſiue Gentiliũ, ſiue Iudæorum, ſiue Hæreticorum Atheorũmve ſectam amplecti velit. liberum eſt, inquam;

Hoc tempore ad peccãdum licentia tribuitur.

inquam omnibus per viã, quam eligendam duxerint, ad interitum currere. Quò ſi nos quoque cum plurimis ire vellemus, quanta eſſet amentia per hanc arduam & arctam virtutis viam iter facere, cùm illã amœnam, planam, delectabilem, nobis quoque propoſitam eligere liceat?

Quid, quòd ordo noſter is eſt, qui humano generi ex omnibus minus oneris ac moleſtiæ adfert? neque enim ab vllo homine reditus, neque decimas, neq. primitias exigimus; ſed ex iis, quæ ſuperfluunt ac redundant, illa tantum accipimus, quæ homines nobis ſua ſpõte concedunt. non enim iudicum tribunalia lambimus, non lictores in cuiuſquam prædia mittimus, vt ab eo aliquid per vim auferamus. imo verò quod nobis ſua ſponte quiſq. concedit & donat, id ſæpè magno emimus. Quid enim eo carius quod precibus cõſtat? quòd ſi inter nos nonnulli peccatores reperiuntur, nullus eſt ordo in quo huiuſmodi homines deſint. quos omnes ſi iſti lapidibus cooperiẽdos putant; fortaſſe primi omnium ipſi huic ſupplicio iure deſtinarentur. Hæc igitur ſi noſtri illi falſi iudices ſepoſita interim ira conſiderare dignarentur, non eſt dubium, quin furoris ſui impetu fracto, ſe contra innocentes ab aduerſariis incitatos eſſe, clarè perſpicerent. Sed hæc hactenus.

Franciſcanus ordo voluntarias eleemoſynas pro reditibus habet.

Carè emitur quod precibus emitur.

Alterum autem,in quo contra innocentes iſtorum animos incitant aduerſarij,in eo cernitur, quòd maiores ſuos eorumque religionem ac fidem iſti iudices falſi ab illis impulſi, ob poſteritatis vitia & peccata condemnant.

Hæreticorum cõmunis impertinens captioſaq; argumentatio proponitur.

Ita enim apud iſtos aduerſarij argumentari ſolent. Summus Pontifex,Epiſcopi,Sacerdotes, Monachi, vitioſam vitam ducunt; maiores igitur noſtri impij, & eorum fides falſa erat. Hanc concluſionem adeò captioſam ita receperunt iſti miſeri, vt maiorũ noſtrorum fidei veritatem ex poſteritatis vitiis atque peccatis metiendam putent. atqui ſi illorum filij & poſteri vitam ſuam ad patrum & maiorum ſuorum exempla componerent, nihil iis eſſet integrius, nihil ſanctius. Quare grauis ſanè eſt iſtorum iniuria, quam maioribus faciunt; magna iniquitas,qua hic abutuntur. Nam cùm hoc tempore complures Eccleſiaſticos impuros atque improbos videant, omnes qui ante hos eiuſdem ordinis & gradus fuerunt, iis fuiſſe ſimiles arbitrantur. At ſi verum dicere auderem, profectò dicerem iſtos ex animorum ſuorum qualitate maiorũ ſuorum pietatem atque virtutem æſtimare.

Hæretici ex animorũ ſuorum qualitate maiorum ſuorum patrũ virtutẽ æſtimant.

Et quoniam ſibi malè conſcij ſunt, nec magnopere laborant quid aut quo modo faciãt, dum id quod agunt eorum cupiditati libidinique reſpondeat, omnes qui ante ſe in Eccleſia

cleſia fuerunt, aut hodie Chriſtianam fidem retinent, ſui ſimiles exiſtimant. Hæc igitur illorum impiæ temeritatis eſt cauſſa, cur omnium antiquorum patrum quaſi de mendacio ſuſpectorum teſtimonia reiiciant. Nam ſi ex his aliquem in teſtem producas, vt Auguſtinum narrantem. è certa cuiuſdam tribuni domo, oblato in ea à quodam eius presbytero corporis Chriſti ſacrificio, cacodæmones eſſe pulſos; aut Cyprianum aſſeuerantem ſe circa corporis Chriſti ſacramentum multa vidiſſe miracula: aut alios quoſuis antiquos patres idem aſſerentes, iſti nō credent. Quare? quoniam omnes ſæculi noſtri Pontifices, Epiſcopi, Presbyteri, Monachi ſunt improbi atque mēdaces; conſequens eſt illos quoque, cùm eiuſdem gradus & ordinis fuerint, iſtis ſimiles fuiſſe. Quare dicant illi ſanè quidquid viſum fuerit, nos tamen non credemus. Si verò ab iis quæras, cur Ethnicorum, qui hiſtorias conſcripſerunt, teſtimonium pro verò recipiant, cur Liuio, Plutarcho, Polybio, ceteriſque hiſtoriographis potius fidem habeant, quàm noſtris auctoribus qui illos virtute ſuperarunt; quod reſpondeant, aliud nihil habēt, niſi hoc vnū: Omnes Papiſtæ, qui hodie viuunt, ſunt improbi & mendaciis aſſueti; igitur omnes Chriſtiani, qui vnquam fuerunt, illis ſimiles ſunt. O Deus æterne, in

Auguſtinus de ciui. l. 22.

Cyprianus.

Eadē iniqua ſententia hæretici omnes catholicos cō demnant.

quæ tempora nos reſeruaſti, vt fideles tuos & amicos, ſanctiſſimos illos viros ita conuiciis proſcindi lacerariq́ue videamus! Pontifex (inquiunt) hodiernus eſt improbus, ergo Siluēſter, Xiſtus, Gregorius, Magnus ille Leo, Clemēns, Linus, Pius, Teleſphorus, Alexānder, impij & Antichriſti fuerūt. Doctores hodierni ſunt improbi, ergo Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, his ſimiles erant. Non eſt his credendum, ergo ne illis quidē. Franciſcani nunc malè viuunt, ergo Franciſcus, Antonius, Bonauentura, quondam eodem modo. En iſtorum conſequentiæ, en argumentationes, iuſtiſſimæq́ue cauſſæ, vel potius dixerim, iniquiſſimæ accuſationes, cur omnium antiquorum patrum atque doctorum teſtimonia reiicienda eſſe videantur.

Magna hæreticorũ fraus, vt ſuos falſos iudices deciperent, oſtenditur.

Magna verò fraus & inſignis, qua in falſis iudicibus ſuis circumueniendis atque fallendis vſi ſunt aduerſarij, cùm illis perſuadent, ne alicui ex patribus & antiquis doctoribus, ſed tantum ſibi credant, hoc loco deprehenditur. Sciebant enim calllidiſſimi viri, ſi creditum eſſet antiquis, errores ſuos eſſe detectos, neque quémquam fore, qui iis deinceps fidem haberet. Ita quibuſdã ex iſtis aliquando probaui, ſanctorum patrum Clementis, Anacleti, Dionyſij Alexandri, Iuſtini, Irenæi, Auguſtini, Ambroſij, Iſidori, multorumq́ue aliorum

aliorum teſtimoniis ritum celebrandi miſſæ ſacrificium ab Apoſtolis fuiſſe præſcriptum, & Eccleſiæ traditum: ſed illi tot teſtibus omni exceptione maioribus credere noluerunt. Cùm autem ex iis quærerem, cur tantis viris non crederent? quia homines erant, inquiũt, & id ſine ſcripturæ auctoritate pro ſuo arbitrio inſtituerunt. Quibus ergo credendum eſt? Iis nimirum, inquiẽt, qui neque Petrum, neque Apoſtolorum quemquam miſſæ ſacrificium celebraſſe cõtendunt. A quo id accepiſti? non à ſcriptura, neque ab vllo antiquorum patrum, qui aliquid tale non dicunt; ſed ab iſtis tuis Sathanicis magiſtris, qui te in eum errorem induxerunt, vt iis ſolis credendum putares, ſi quid tamen prudentiæ, ſi quid æquitatis eſſet in vobis, poſtquam & ab aduerſariis audiſtis, Miſſam ante Gregorij tẽpora non fuiſſe celebratam, & à nobis illius ritus & cærimonias inter Apoſtolorum inſtituta & decreta numerari, certè vtrique parti dixiſſetis: Nos neque vobis neque veſtris aduerſariis credimus, ſed quid illa antiqua Romana Eccleſia, & illi antiqui doctores hiſtoriæque ſcriptores, qui iis ſæculis, de quibus controuerſia eſt, floruerunt, ea de re memoriæ prodiderint, ipſi volumus cognoſcere. Sed cur iſti hoc facere nolint neſcio, illud certè conſtat, eos ſolis hęreticis magiſtris ſuis, quid-

Sanctis patribus heretici credere noluẽt.

Hæreticorum iudices quid dicere & facere debuerũt.

quid ij dixerint, velle credere, tametſi & homines ſunt, & multa eos peccare perſpiciũt. Hoc autem ſophiſmate, quo aduerſarij, quòd ipſi improbi ſunt atque mendaces, tales & omnes maiores ſuos fuiſſe, & nos quoq. eſſe inferunt, in hunc errorem inducti ſunt. Tanta huius noui Euangelij modeſtia, tãta æquitas eſt.

Iniqui hæreticorũ iudices vnico illorum verbo magis, quàm ſanctorum patrum teſtimoniis credunt.

Quis igitur huius controuerſiæ finis inueniri poteſt, cùm iſti iniqui iudices neque nobis, neque cuiquam ex patribus ſuis, ſed ſolis hæreticis aduerſariis credant? quorum vnico verbo ac ſimplici negationi cùm plus fidei quàm ſexcentis antiquorum patrum aſſeuerationibus & teſtimoniis habeatur, cui dubium eſſe poteſt, quin hic ab iſtis, qui omnia quæ aduerſarij dixerint, credunt, ius noſtrum læditur atque violatur? Maiores noſtros ſub talibus & tam iniquis iudicibus, qui illos de poſteritatis ſuæ vitiis ęſtimãt atq. condẽnant, cauſſa cadere profectò neceſſe eſt. Quis autẽ iſtorum morem atque rationem ſatis mirari queat? nam ſi omnium & conciliorum & antiquorum patrum auctoritatem teſtimoniaque produxeris, hæc omnia iſti reiicient. Ex quibus ſi quæras cur id faciant, nihil aliud audies, niſi quòd omnes illi malæ fidei erant; nec quid contra veritatem dicerent, modò hinc aliquid emolumenti accederet, laborabant.

bant. Quòd ſi poſtea interroges, vnde hoc ſciát, cùm ab omnibus, qui eo tẽpore ſcripſerunt hiſtoriam, illos fuiſſe ſingulari integritate ac ſanctitate præſtantes, memoriæ proditũ ſit? Quibus igitur argumentis aut teſtibus illos improbos fuiſſe probatis? Ita, inquient, à magiſtris doctoribuſque noſtris (hęreticis ſcilicet) accepimus: præterea hoc ita ſe habere, ex poſteritatis illorum vita moribuſque perſpici poteſt. Quid agitis miſeri? cur maiores veſtros ita iniquè impieque damnatis? Nónne ſcripturę ſententia eſt, Pater non portabit iniquitatem filij? Quare à tanta quæſo iniquitate deſiſtite: nam ſi maiorum noſtrorum pręceptis obtemperaremus, omnia rectè ſe haberent, nec in vllo eccleſiæ ſtatu aut ordine vitia & peccata regnarent. Illud autem animum meum maximè offendit, quòd de omnibus bonis & doctis hominibus, qui ante illos fuerunt, ita malè ſentiunt: quam opinionem vt de viris bonis integriſque conciperent, ab aduerſariis ſemel perſuaſi ſunt, qui cùm hoc impietatis ſuæ fundamentum iecerunt, nemini niſi ſibi ſolis eſſe credẽdum; quantam errorum molem ſuper eo fundamento ęxſtruere poſſunt? Quid non facilè ſuis diſcipulis perſuadebũt? Et ſanè non dubium eſt, quin ij mundum valdè corruptum & malum offenderint, cùm tantæ hominum

Hæretici falſorum ſuorum magiſtrorũ ſolum dictis ducuntur.

Ezech. 18.

Super impiũ hæretici fundamentũ magnã errorum molẽ exſtruunt.

multitudini omnes maiores ſuos improbos atque impios fuiſſe,tam facilè perſuaſerunt, & in tantum apud illos contemptum adduxerunt. Vna ſiquidem ex præcipuis cauſſis, cur aliquis de aliis malè ſentit & iudicat, ea eſt, quòd ipſe malus eſt atq. improbus. Nam (vt ait Sapiens) ſtultus in via ſua ambulans, cùm ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos exiſtimat. Scitum eſt illud Senecæ: Hoc habet omnis affectus, vt in quod ipſe inſanit, in id putet etiam ceteros furere. Vnde auarus & perfidus,qui alios vendendo aut emendo fallere conſueuit, nemini fidē habet, propterea quòd omnes alios ſibi ſimiles eſſe arbitratur. Nam,vt ait Chryſoſtomus, vnuſquiſque aliū de ſe æſtimare ſolet. Animus libidini deditus neminem caſtum putat. Caſtus autem difficulter credit impudicū eſſe talem.Superbus nullū humilē; humilis nullū ſuperbū putat. Vt enim bonus vir ac probus vix ſuſpicatur quēquā improbū eſſe:ita improbus eſſe quēquā probū vix ſibi perſuadet. Quod quā verum ſit,aduerſarij euidenter oſtendunt. qui cùm improbi ſint & mali, ſeque tales eſſe nō ignorent, de ſui conſcientia ceteros æſtimāt; nec quemquam ante ipſos probum & innocentem fuiſſe exiſtimant. Nam, vt apud Britannos noſtrates tritum eſt vulgi ſermone prouerbium: Qui fugit ad furnum, is reliquos

Eccle. 10.

Lib. de moribus.

Qualis vnuſquiſque eſt, tales ceteros eſſe indicat.

Chryſoſt.

Apud Britannos tritū prouerbium.

quos omnes ſequi exiſtimat. Quod cùm iſti faciunt, quantum in iis refrixit charitas, planè demonſtrant. Quæ iuxta Apoſtoli ſententiam non cogitat malum, id eſt, non eſt ſuſpicioſa. Probi ſiquidem & boni omnia incerta & dubia in meliorem partem interpretari ſolent, tantum abeſt, vt ij de vllo homine abſque manifeſta cauſſa malè ſentiant & iudicent. Sed iſti miſeri aduerſariorum dolis ac fraudibus circumuenti, in tantum malitiæ gradum proceſſerunt, vt de nullo hominum, qui aut vmquam fuerunt aut hodie ſunt, rectè ſentire poſſint. Qua in re apparet ſingularis eorum & in maiores ſuos & in ceteros Chriſtianos iniquitas, cùm ob leues ſuſpiciones, quas ſola ipſorum malitia & improbitas peperit, innocentes & iuſtos temerè impieque condemnant.

1. Cor. 13.

Piorum & iniquorum diuerſa conditio oſtenditur.

Eſt & aliud in quo propter aliena peccata inſontes iniuſtè damnant, cùm ob vnius aut alterius vitia totum ordinem, in quo pauci vitioſi deprehenduntur, improbum & nefarium eſſe iudicant; cùm tamen ij qui peccarunt, ſi iuſtitiæ & æquitati locus eſt, ſoli puniendi ſint. Huiuſmodi autem iudicio noſter ordo magis, quàm reliqui monachorum ordines, ſubiectus eſſe conſueuit. Nam ſi quis ex noſtris hominibus in aliquod crimen fortè lapſus eſt, illius culpa non ipſi ſoli, ſed toti

Ex peccato vnius religioſi omnes religioſos hæretici condemnant.

ordini obiici conſueuit, adeò vt ex vnius vitio huiuſmodi concluſiones elici ſoleant. Ille Franciſcanus hoc aut illud peccatum admiſit, ergo totus ordo improbus ac nefarius eſt. Quidam Franciſcanus animum meum offendit, omnes igitur Franciſcanos ſemper odero. Sexcentas huiuſmodi concluſiones faciunt, vt vna ſententia ſontes inſonteſque condemnent; nec quis eos læſerit, quis non læſerit, conſiderant; ſed Andabatarum more clauſis (vt dicitur) oculis in obuios quoſque impetum faciunt. Qua in re ordo noſter ceteris omnibus miſerior videtur. Nam ſi quis nobilium ebrioſus aut latro fuerit, nemo tamen reliquos omnes nobiles dánat, aut odio proſequitur. ſi quis negotiator fraudulentus eſt, vnius culpa in ceteros non refertur. ſi quis maritus adulterium admiſit, illius crimen reliquis maritis non adſcribitur. de ceteris ordinibus iudicatur eodem modo. At verò in noſtro ordine vnius culpa cõfertur in omnes, & propter huius aut illius crimen totus ordo tamquam malus nefariuſque damnatur. Si quis ex noſtris hominibus aliquem offendit, & quoduis peccatum perpetrauit; id ita ferè accipitur, quaſi in illam offenſionem & peccatum totus ordo conſenſerit: nec ſolùm ab hæreticis, verùm etiam à pleriſque catholicis hoc eodem modo impiè iudicatur. Nec mihi

Andabatarũ mores hæretici imitantur.

mihi dubium eſt, quin iſtam conſuetudinem diaboli malitia inuexerit. qui cùm videat quantum noſtri ordinis homines in populo rectè inſtituendo elaborent, id agit, vt & illi animum deſpondeant, neque deinceps quiſquam exiſtat, qui in ordinem vulgi iudicio miſerum & exoſum adſcribi velit. Quod vt commodiùs effici poſſit, pleroſque perditos homines excitauit, qui non ſolùm vbicumq. fuerint, nos ordinemque noſtrum infament, ſed etiam cùm hanc hominum in nos iniquitatẽ eſſe ſcirent, vt ob vnius crimen ordinem totum, omneſque qui in eo ſunt inconſideratè condemnent, ac immortali odio perſequantur; multos libellos famoſos, quos facetiarum vocant, conſcriberent, in quibus certè noſtrorum hominum, vt ipſi quidem dicunt, crimina enumerant, quorum illi ipſi ſunt architecti & auctores, cùm de innocentibus tam impia nefariaque confingant, vt & ordinem noſtrum vulgò exoſum atque cõtemptum, & doctrinam noſtram de errore mendacioque ſuſpectã reddere poſſint. Quid igitur? An omnes noſtri homines integri & ſancti? Minimè. Atque vtinam in noſtro ordine pauciores eſſent, qui & Deum & homines ſceleribus offenderent. Sed quoniam adeò corrupta ſunt hominum iudicia, vt vnius hominis crimen in totius ordinis redundet infamiam,

Iniqua conſuetudo cõtra religioſos à diabolo introducta.

Libellos famoſos contra Franciſcanũ ordinem hæretici conſcripſerunt.

Ex corruptis hominum iudiciis quid naſcatur.

infamiam,non erat iis præbenda anſa iniuriã innocentiæ inferendi. Et quamquam vera eſſent, quæ Bocatius, Poggius, aut ceteri de Franciſcanis aliiſve monachis narrant, ea tamen litteris committi, memoriæque mandari non oportebat. Quam ob rem inquies? quia non eſt dubium, quin ij qui illa quæ narrantur crimina à Franciſcanis admiſſa viderunt,grauiter offenſi fuerint. Monachorũ enim peccata reliquorum hominum, maximè ſęcularium,peccatis hac de cauſſa videntur eſſe grauiora, quòd in imbecillorum & puſillorum offenſionem magis incurrunt; quæ quo paucioribus nota ſunt, eò pauciores offendunt. Ita illi dum peccant, peccati ſui ſolos teſtes offendunt; qui verò illorum peccata tamquam in theatro omnibus ſpectanda proponunt, omnes qui per eos quod latebat intelligent,ſcandalizant. Qui igitur toti mundo editis libris ea exponunt & oſtentãt, cui dubium eſt, quin toti mundo,quantum in ipſis eſt,ſcandali materiam præbeant? Si ergo monachorum peccata, propter ſcandalum grauiora eſſe credunt, nónne par erat eos id agere, ſi tamen ſcandalum eſſe malum exiſtimant, vt id ad pauciſſimos perueniret? Quantum eſt igitur iſtorum ſcelus,qui offendicula non modò non remouent, ſed potius toti orbi publicant & oſtendunt? Monachus

Per libellos famoſo: aliorum peccata publicè proponentes ſcandalum immittunt.

enim

enim ſolos peccati ſui teſtes offendit, iſti verò infinitam hominum multitudinem, qui eorum impia ſcripta lecturi ſunt, venenatæ linguæ maledicentia ſcandalizant. Qui cùm nõ ignoraret eam eſſe humanorum iudiciorum imbecillitatem, vt ob vnius vitium omnes eius ordinis homines condemnare parati eſſent, adduci profectò non poſſum, vt exiſtimem eos huiuſmodi fabulas alio animo cõſcripſiſſe, quàm vt & monachorum genus fratres ſuos, & eiuſdem matris Eccleſiæ filios irritarent, & proximos ſcandalizarent, & ipſum ordinem, illam doctrinam quam ij prædicant, illa matris Eccleſiæ Romanæ ſacramenta quæ adminiſtrant, in ludibrium & cõtemptum adducerent. niſi fortè illos vlciſci voluerint, quòd in vitia, quibus iſti implicati tenentur, in concionibus nonnumquam inuecti ſunt. Ad ædificationem etenim proximi ea ratio nullo modo pertinebat. Nam ſi Euangelij regulam tenere voluiſſent, cùm aduerſus aliquem monachorum quippiam ſcirent, eum certè primo monere, deinde eius præpoſitis ac prælatis, qui poſſent emendare delictum, indicare debebant, non tantum ſcandali, quod ipſi quoque malum dicunt, incendium ſuſcitare. quod enim per ſe malum eſt, id, quo latiùs patet atque diffunditur, eo peius eſt. ſed contra quemcumq. illorum eſt Do-

Heretici deprauato animo contra monachos libellos famoſos ſcripſerũt.

Matth. 18.

eſt Domini querela dicentis: Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum; hæc feciſti, & tacui.

Pſal. 49.

Quid, quòd iſti in nos ita agunt, ac ſi humani generis eſſemus hoſtes? Verumtamen, vt publicę vtilitati commodiùs ſeruire poſſemus, huic ordini, atque huic inopiæ & egeſtati voluntariæ nomina dedimus: quod ſanè pauci faciendum putant, propterea quòd ij qui ſemel iſtud iugum ſuſceperunt, non ſolum multas calamitates & ærumnas vltrò appetunt, verùm etiam multis commodis, quibus abſque peccato frui poterant, ſponte ſe priuant. Quæ omnia vt & Deo, & publicę vtilitati ſeruire, & hominum inſtructioni cõmodiùs vacare poſſimus, ſemel abiecimus. Quæ cùm ita ſint, non deſunt tamen homines quidam adeò impij & improbi, vt hac ipſa de cauſſa, cùm nobis agendæ potius eſſent gratiæ, hoſtium loco nos habent, nec quidquam poſt Deum peius quàm noſtrum ordinem oderunt. Ij ſunt qui tum demum gaudio exſultãt & triumphãt, cùm aliquam ob loquendi de nobis anſam inueniſſe ſe exiſtimant: qua re nihil illis poteſt eſſe iucũdius, ad quam tanto deſiderij ardore rapiuntur, vt non modò de iis quæ Dei lege prohibentur, verùm etiam de adiaphoris, in quibus pec-

Voluntariam paupertatem quare monachi elegerunt.

Detractores dubia in deteriorem partẽ iudicant.

cati

cati nihil eſt, nos infamare conentur.

Noui ego quoſdam optimos viros, qui cũ eſſent ſimoniaci, & vxorem vnà cum ſacerdotiis (quæ beneficia vocant) haberent, non minus me deteſtabantur atq. oderant, quòd in noſtro cœnobio nouum dormitorium ædificaſſem, quàm ſi centum homines mea manu iugulaſſem. Nec illi interea trabem in Matth.7. oculo ſuo conſiderabant, neque, qua mente ædificabamus, attendendum ſibi putabant. Ædificare ſiquidem ex ſe neque vitij aliquid habet, neque diuina lege prohibetur, niſi fortè aut finis & ſcopus ipſe damnetur, aut ex iis quæ alteri eripueris, ſtructura illa conſurgat. Nos verò nihil ab vllo homine, niſi quod datur accipimus. nec modus vllus eſt aliena tractandi magis licitus, quàm ex donatione, ſi is qui dedit, habuit donandi poteſtatem.

Sed hæc hactenus. Neque enim aliud hoc loco nobis propoſitum eſt, niſi vt hominum in nos iniquitatẽ ac malitiam patefaciamus. qui tamquam ſi ipſis ſolis factus eſſet hic mundus, quaſi ea omnia quæ Deus à ſe creata humano generi voluit eſſe cõmunia, ipſis ſolis ſeruire deberent: ita Dei ſeruos, quòd ſe ipſius numini dedicauerunt, hoc deterioris conditionis eſſe arbitrantur, adeò vt hi Domini & Dei ſui creaturis deinceps vti nõ poſſint. Quid? quòd iſti triſtes alienæ vitæ

rigidique

Alienæ vitæ cenſores temerè de fratribus Franciſcanis equitantibus iudicant.

rigidique cenſores, ſi quem ex noſtris fratribus in equo iter facientem viderint, fremunt, illumque condemnant: nec acutiſſimi homines illius aut imbecillitatem, aut negotij magnitudinem ac pondus, aut qualitatem, aut quid ei euenire poſſit ſi pedibus iter fecerit, aſpiciunt, ſed leuiter ac temerè iuxta animi deprauatique iudicij ſui malitiam in nos ſententiam ferunt, nos quaſi nefarios ac impios homines damnant, propterea quòd ea facimus quæ Dei præceptis, quæ niſi violentur, nemo damnandus eſt, non repugnant. Tanta eſt igitur hominum in nos malitia, tanta iniquitas, vt ſi ſpes noſtra huius vitæ terminaretur anguſtiis, non ſolùm quod

1. Cor. 15. Apoſtolus ait, miſerabiliores omnibus hominibus, verùm etiam ipſis brutis animalibus infeliciores eſſemus. Sed ſcimus profectò qui

Ioan. 15. dixerit nobis: Si mundus vos odit, ſcitote

Matth. 5. quòd me priorem vobis odio habuit. Et illud: Beati eritis cùm vos oderint homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me: gaudete & exſultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. His pollicitationibus Dei filius noſtrum mærorem conſolatur, & noſtram præmij exſpectationem erigit atq. ſuſtentat. quæ ſi deeſſet, quis hoc vitæ genus amplexus, in eo perſeueraret, vt tamquam

ſignum

ſignum ad ſagittam, omnium malitiæ & iniuriæ eſſet expoſitus; & in quem omnes omnia quæ viderentur, impunè & dicere & facere poſſent?

Sed (vt eò vnde digreſſa eſt reuertatur oratio) non ignorabant aduerſarij ita homines affectos eſſe, vt minimo negotio in nos exacerbari irritariq́. poſſent, & ſuum odium, quemadmodum ſuperiùs expoſuimus, ac iracundiam oſtenderent, dum ob peccata paucorum, totum ordinem condemnarent. Itaque vt frigidam ſuffunderent, immo vt oleum camino adiicerent, de quibuſdam noſtris hominibus fabulas conſcripſerunt, eorumq́ue peccata editis libris tamquam in theatro toti orbi ſpectanda exhibuerunt, vt nos omnes hominum genus eſſe impios ac nefarios iudicaret; ac proinde omnibus exoſi & deteſtabiles vndique pelleremur. Sed fortaſſe iſtos fefellit euentus. Immo verò tantum impietas ſæua profecit, vt ſi quis ſacerdos dicatur aut monachus, non ſolùm id cõuicij loco habeatur, verùm etiam iſtorum diſcipulis & aſſeclis, ad iugulandum hominem eiuſque bona diripienda, ſatis magnum crimen eſſe videatur, ſi in ſacerdotali aut monachali habitu atque veſtitu deprehendatur. Nec quidquam iſti amplius ſibi quærendum putant, qui ſit ille, bonus an malus, probus

Qui in ſacerdotali aut monachali habitu inueniebatur, ad iugulandũ ab hæreticis ducebatur.

probus an improbus. O ſingularem iſtorum æquitatem atque iuſtitiam! ô aduerſariorum & iudicum ſuorum admirabilem ſapiétiam, immo calliditatem & malitiam ſingularem! Quis deinceps in Chriſtum credet, inter cuius electos Apoſtolos Iudam illum perfidioſum atque impium videat? Cui Noë patriarchæ domus, in qua tam impius ille Cham verſatur? Cui Abrahæ familia, in qua Iſmaël? cui Iſaaci domus, in qua ſæuus Eſau manet, non iure videatur eſſe damnanda? Hæc igitur iſti miſeri atque ſeducti non attendunt, nec monachos, qui peccarunt, homines imbecillitati carnis obnoxios, ac Satanæ tentationibus & inſidiis expoſitos eſſe, conſiderāt. Quid, quòd ne illud quidem cogitant, illos qui aliquando lapſi ſunt, ex eodem quo & ipſi luto eſſe formatos? illos ſui ſimiles, & antequam Franciſco nomen darent, ſibi fuiſſe ſocios & æquales? Nec ordini tantam eſſe vim, vt illos ad ſanctitatem & innocentiam cogere poſſit inuitos.

Matth. 26. *Geneſ. 9.* *Gen. 16.* *Gen. 27.*

Eum qui ſemel peccauit, ſemper in peccato eſſe, non eſt iudicandum.

Quid, quòd is qui paullo antè peccauit & lapſus eſt, iam forte ſurrexit, & peccati macula pœnitentiæ lacrymis remediiſq. deterſa, candidam innocentiæ veſtem Dei munere & benignitate recepit? Illud autem omitto, propter vnum peccatum ſemel admiſſum neminem, tamquam in peccatorum cœno

ſemper

ſemper volutatus fuiſſet, eſſe damnandum. alioqui & Moſes & Dauid & Apoſtoli, qui omnes aliquando peccarunt, tamquam impij iure damnandi ſunt. Sed diutius fortaſſe, quàm par fuit, hoc loco morati ſumus. aliquid tamen & de aduerſariorum malitia, & de falſorum iudicum ſuorum ſtultitia, qui adeò temerè & iniquè bonos vnà cum malis, innocentes cum improbis, abſque vllo diſcrimine condemnant, neceſſariò dicendum fuit. Ad hæc aduerſariorum quoque fraus atque calliditas, qua auditorum ſuorum imbecillitate ita abuſi ſunt, vt eos in noſtri odiũ propenſos, vitiorum noſtrorum ſpecie atque prætextu magis accenderent & irritarent, in lucem proferenda erat. Sed de his hactenus.

QVIDQVID IN AVCTORIS VITAM ADVERSARII DIXErint, *ex eo ad maiorum noſtrorum fidei condemnationem nihil inferri poſſe oſtenditur.*

CAPVT XV.

SEQVITVR vt ad alium ſuperiori finitimum locum veniamus, quo aduerſarij in huius cauſſæ, quam pro catholicæ fidei defenſione ſuſcepimus, oppugnationem fortaſſis vtentur.

Fieri enim poteſt, vt ij extra cauſſam quærendum putent, quiſnam ego ſim: vt ſi auocatis & abductis ad hanc cogitationem falſis iudicibus ſuis perſuadere potuerint, me improbum eſſe, tum demum ſolitis ſophiſmatis atque fallaciis eos in errorem inducant, hoc modo: Frater Chriſtophorus hæc aut illa admiſit, conſequens eſt igitur omnium maiorum veſtrorum fidem eſſe falſam. Fr. Chriſtophorus vitam ducit improbam, ergo omnes maiores veſtri fuerunt improbi. Ita ex iis, quæ in me aut finxerint aut dixerint, contra maiores noſtros concluſionem fabricabuntur. Ad hæc ſuos iniquos iudices huiuſmodi quæſtiunculis detinebunt, cur noſtri calcei ſint feneſtrati? cur noſter habitus ſit hoc potius quàm illo colore? cur galerus noſter laneus, vt ſuo more concludant ad hunc modum. Frater Chriſtophorus habet calceos feneſtratos, ergo maiorum fides falſa eſt. Frater Chriſtophorus eſt cucullatus, ergo corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia. Ego verò, ſi in huiuſmodi næniis & ineptiis iſti tempus terendum putant, ad eas mihi otium deeſſe profiteor. quod ſi non deeſſet, in tam vanis ac friuolis quæſtionibus, quæ ad rem nihil faciunt, nollem conſumere, vt quærerem, quali pileo, quibus caligis, quo thorace, quo cultu eorum miniſtri vtantur. non enim mihi curæ

Impertinẽtes hæreticorum conſequentiæ.

Friuolis quæſtionibus detineri non debet.

curæ eſt quo pacto ij veſtiantur, modò nuda & aperta ſit veritas. Quòd ſi in illis næniis perſiſtere velint, tota eis arena cedo, donec ad principalem noſtræ controuerſiæ partem venerint, cuius veritas ac notio ex huiuſmodi næniis ineptiiſve non pendet. De me autē non nihil dicendum puto, vt iis omnibus, quæ aduerſarij obiicere poſſent, reſpōdeam, ne lectores mei nominis cauſſa impediantur, quo minus rectè de tota cauſſa iudicare poſſint. Non enim deſunt, qui hic nutent & hæreant, quaſi maiorum noſtrorum fidei veritas ex vitæ meæ qualitate penderet. quibus ſi me peccatorem eſſe perſuaſerint, ſatis illud exiſtimant, ad probandum de omnibus noſtris maioribus actum eſſe; ſin minus, illorum tamen fidem damnare non deſinent. Superuacaneum igitur eſt in hoc elaborare, vt vitæ meæ demonſtraretur integritas. nam ſi iſtis me probum & integrum hominem eſſe conſtiterit, non tamen idcirco maiores ſuos condemnare deſiſtent; ſin minus, iure illi videbuntur eſſe damnati. Iniqua igitur virtutis & vitij in hac quidem parte conditio.

Superuacanea hæreticorum inquiſitio, & ſuperuacaneus labor.

Quæ cùm ita ſint, non eſt pluribus verbis agendum, niſi fortè in his rebus, quæ ad fidei noſtræ condemnationem valere videantur. Itaque non eſt mihi dubium, quin aduerſarij, vbi hanc noſtrā apologiam viderint,

Hæreticorum cõſuetudo eſt, cauſſæ caput omittere.

ſicut illis mos eſt, ipſius cauſſæ caput omittent, vt in me ſuum omnem impetum vertant, meque, quantum in iis erit, meis coloribus pingant. Quod vt procliuiùs faciant, antiquo hæreticorum artificio mille mendacia calumniaſque cõfingent. Quibus hoc vnum iam antè reſpondeo, ſi quid in me habent, eſſe Chriſtianæ charitatis officium, vt me primùm admoneant: quòd ſi fecerint, id mihi gratum forè promitto. ſi verò hac in re Euangelij regulam ſequi nolunt, illud tamen ab iis peto, vt me apud meos legitimos iudices, qui & in vitam meam inquirere, & ſi quid cõmerui, me punire poſſint, accuſent. quòd ſi me abſentem lacerare non deſinunt, illud primum audiant, hoc ad communis cauſſæ illuſtrationem atque rationem omnino non pertinere. Deinde clariſſima voce denuncio, ſi in me calumniarum, mendaciorum, conuiciorumque ſexcenta plauſtra produxerint, me illorum ineptias eſſe riſurum, & pro nihilo putaturum, tamquam id quod ad huius cauſſæ rationem nullo modo pertinet. Ad hæc Deum homineſque teſtor, me ex iis omnibus quæ illi in me dixerint atque confinxerint, nihil aliud, niſi quod mihi videbitur, crediturum. Amicos autem meos omnes idem facturos eſſe confido; quid inimici acturi ſint, non laboro. Porrò à Chriſtiano lectore peto,

Matth. 18.

Hæreticorum ineptiæ ſpernendæ ſunt.

vt eos qui in me dicturi ſunt, mihi inimicos eſſe conſideret. Quis autem neſciat, inimico facilè non eſſe credendum, qualecumque crimen obiiciat? qui tametſi verum diceret, tamen hoc ipſo quod inimicus eſt, ei fidem haberi non oportet, niſi aliunde conſtet, verum eſſe quod dicit. Quis neſciat quanta in Athanaſium finxit Arrianorum impietas, quæ multis veriſſima videbantur, donec ad iudicum tribunalia ventum eſt? quibus diligenter examinatis atque diſcuſſis. Arſenius, cui ab Athanaſio brachium Arriani præciſum fuiſſe dicebant, ambas manus integras habere deprehenſus eſt; & mulier, quæ ab hæreticis ſubornata Athanaſium adulterij accuſabat, in presbyterum eius Timotheum, quem antè numquam viderat, criminationẽ deriuans, Arrianorum inſidias & dolos incauta detexit. Ita iſti crimina in me fabricare poterunt; iudicibus veris ac bonis probare non poterunt. Quæ cùm ita ſint, quis nullius criminis damnatum, immo ne conuictum quidem, per totum orbem infamare, iniuſtum eſſe non videat? Sed hoc iſti multis de cauſſis facere ſolent.

Inimico quare non ſit credendum oſtẽditur.

Arrianorum contrà Athanaſium impietas confuſa eſt.

Primò, vt idiotas ac ſimplices fallant, iiſq. maiorum fidem, quam prædico, contemnere perſuadeant. Illi namque hoc argumentũ, Frater Chriſtophorus talis eſt, qualem eum

Hæretici quare concionatores, et auctorem infamare conſueuerunt.

facere volueritis, ergo ſanctorum patrum fides falſa eſt; ſophiſticum eſſe neſciunt.

Deinde vt me ſuis obtrectationibus à fidei noſtræ defenſione deterreát, porrò tátum abeſt, vt me hac ratione deterreát, animumque mihi eripiát, vt cōtra iſtæ detractiones ac minæ ad augēdos mihi animos, quibus Catholicam fidē fortiùs tuear atq. defendã, potius valeant. Illud autem confirmare poſſum, me æquiore animo ferre mendacia & obtrectationes eorum, quàm laudes, quibus huius cōtrouerſiæ initio mihi magis, quàm reliquis mei ordinis hominibus in patria noſtra blandiebantur; futurũ ſperantes, vt aut me in ſuas partes traherent, aut illum animi ardorē, quo eorum impugnabamus errorem, reſtinguerent; aut certè, vt hoc modo minus cautis, qui eorum artes doloſque non intelligerent, me in ſua caſtra tranſiſſe perſuaderent.

Auctori hæretici quare blãdiebantur.

Mihi verò, qui facilè quid ſibi huiuſmodi laudes vellent intelligebam, eæ magis ſuſpectæ erant, quàm eorum obtrectationes atque mendacia vmquam antè fuerant. Agebant enim iſti eodem modo, quo olim Hannibal, vt Fabij Maximi fidem populo Romano ſuſpectam redderet. Is enim cùm ceterorum Romanorum agros igni ferroque vaſtaret, huius vnius fundum immunem ab hoc iniuriæ genere reliquit: vt hoc modo ſibi cum Fabio

Hannibalis calliditatem hæretici imitati ſunt.

Fabio pactum aliquod occultum intercedere populo Romano perſuaderet. Cuius calliditatem cùm hic intelligeret, fundum illum ab hoſte intactum donauit Reipublicæ, atq. ita Hannibalis vafram calliditatem eluſit. Sic iſti initio agere inſtituerāt. Nam cùm ceteris patriæ noſtræ concionatoribus obtrectarent, quæ ad laudem meam pertinere arbitrabantur, multa dicebant, vt me in negotio fidei auditoribus meis ſuſpectum redderēt. Hanc iſtorum calliditatem cùm hi noſtri non viderent, ego verò facilè intelligerem, quo magis me illorum aſſentationibus laudibuſq. palpari audiebam, eò acrius & iſtorum errores deteſtari ac refutare, & meam ſententiam contra illos aſſiduè patefacere conabar. Cùm igitur illi & ſe oleum atque operam perdere, & meos auditores de mea in fide conſtantia ſatis certos eſſe intelligerent, tum verò mutata belli ratione, de me quemadmodum & de ceteris concionatoribus obtrectare cœperunt. nec animo ſedato & tranquillo eſſe potui, ante quàm eos ſtylū vertiſſe cognoui. Ab iis namque laudari mihi ſanè moleſtiſſimum erat. immo & à talibus vituperari pro ſumma laude ducebam. Sed quoniam fidei noſtræ catholicæ veritate nihil mihi poteſt eſſe certius, ita eram animo conſtitutus, vt neque laudibus, neque promiſſis, neq. minis,

Ab iniquis hereticis laudari, auctori moleſtiſſimū fuit.

Z 5 neque

neque obtrectationibus atque mendaciis ab arce fidei propugnanda, cuius deſertorem ac transfugam me illi conabantur efficere, deſiſtendum vmquã putarim. Quo in propoſito ita Dei beneficio animum confirmaui, vt mihi deliberatum ſit, in hoc ſtudio ad mortem vſque perſeuerare, quidquid ab iſtis tandem impendeat, qui mihi non ſemel, ſed ſæpius atrociter minati, ſuiſq. gladiis me à tam præclaro ſtudio deterrere conati ſunt. ſed Dei benignitate adhuc viuo, & valeo, ſemperque, dum me prouidentia diuina protexerit, viuam, nec mihi ante mortem aliquis vitam eripiet. Hactenus in genere calumniis iſtorum maledictiſque reſpondi; quæ ſingula refellere ſuperfluum eſt. Vnum tamen, quo & incautum lectorem impedire fortaſſe poſſent, ne de hac cauſſa rectè iudicet, & id agere, vt omnia quæ hîc pro fidei noſtræ defenſione diximus, illi de mẽdacio ſuſpecta videri queant, præterire non debeo. Dicunt igitur aduerſarij, me ventris cauſſa prædicare, fidemque maiorum defendere. Quibus verbis magnam mihi malè de iis iudicandi occaſionem præbent. neque enim ij, qua mente hoc faciam, ſcire poſſunt. ego verò, cùm hoc aſſeuerant, eos impudentiſſimè mẽtiri ſcio. neque verò à Spiritu ſancto, quo iſti afflatos eſſe ſe iactant, huiuſmodi mendacia profi-

Auctoris conſtantia et piũ propoſitum.

Hæreticorum obiectio cõtra auctorem facta retunditur.

proficiſcuntur; quem ſi haberent, ſi veri prophetæ eſſent, qui & quales nos ſimus, & maiorum noſtrorum religionem ac fidem qua mente defendimus, intelligerent. quam rectam eſſe certò ſcio nec illud ignoro, multa ab iſtis de me mendacia confingi. Quare ſi iſti per omnia ſacra iurarent ſibi adeſſe Spiritum ſanctum, qui eſt ſpiritus veritatis, cùm tantorum mendaciorum architectos & auctores eos eſſe videam, iis credere nullo modo poſſem. tantum offenderunt animum meum, cùm in tam graui ſanctaque cauſſa adeò fraudulenter agunt.

Hæreticis aſſeuerantibus ſe Spiritum ſanctum habere, quare nõ eſt credẽdum.

Ioan. 16.

Si igitur à Chriſti ſpiritu miſſi eſſent, non minorem meæ quàm aliorum ſalutis rationem habuiſſent. Deus enim vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sed contra iſti facere ab initio inſtituerunt, dum & ſe ſtatim nobis inimicos eſſe demonſtrant, & impudentiſſimis illis mendaciis, quæ in nos finxerant, nobis ſtomachũ mouere conantur; & populi Chriſtiani animos omni ſtudio, opera, diligentia, à nobis alienare contendunt. Iſti igitur cùm ſe nobiſcum inimicitias gerere non obſcurè declararent, quid ab iis, niſi quòd nos ad iracundiam prouocet, exſpectare poſſimus? Ita quondam ipſe Lutherus, iſtorum coryphæus & anteſignanus, quo incommodaret papatui, vt ipſe dicebat,

1. Timoth. 2.

Lutherus hæreticorum coryphæus & anteſignanus.

dicebat, vt contra hæc Chriſti verba, Hoc eſt corpus meum, nouum aliquod dogma proferret, ſe quinquennium elaboraſſe confitebatur. Cùm igitur inter Chriſtianos, & quidem in primo ordine, nimirum inter Eccleſiaſticos numeraremur, profectò ſalutem noſtram iſti non minus quàm reliquorum curare debebant. Sed longè aliter optimi viri, qui ſuis diſcipulis, vt nos crudeliſſimè occiderent perſuaſerunt. O præclaros hominum ſeruatores!

Hæretici meritò ſeductores dicuntur.

Dico præterea, magnam mihi ab iſtis oblatam eſſe occaſionem ſuſpicandi, eos ſeductores eſſe; maximè cùm eorum rationes, quibus illud vel in primis ſibi propoſuerunt, vt nobis ſtomachum moueant, preſſiùs conſidero. Videntur enim mihi hoc egiſſe, vt in ſuam factionem certum hominũ numerum traherent, alios autem, quos poſtea hoſtium loco habere poſſent, interea relinquerent, donec illa altera parte ſeducta, cùm ſibi ſatis copiarum ac virium eſſe arbitrarentur, tum demum in illos tamquam in hoſtes impetũ facerent: quibus ſublatis & occiſis, eorum bona honeſtè religioſèque diriperent. Illud enim conſtat, iſtis numquam curæ fuiſſe, vt ſacerdotes & monachos, quorum bona appetiuerant, in ſuam traherent factionem. qui, ſi ſemel in eorum caſtra tranſiſſent, eos ſatis

honeſtè

honeſtè expilare non poſſent. Hoſtes igitur eos, quàm commilitones & ſocios maluerũt, hac profectò de cauſſa, ne illorum & bona compilandi, & templa monaſteriaque ſpoliandi, quemadmodum probauit euentus, iuſta & honeſta pòſt deeſſe videretur occaſio. Qua in re callidè profectò eos egiſſe video. neque enim nimis multos homines in ſuis partibus eſſe voluerunt, ſed tantùm eum numerum, qui ad perficiendam expilationem ſufficere videbatur; ne fortè ſi plures fuiſſent, præda omnibus ſufficere non poſſet. Quare in primis illud egerunt, vt habito delectu expeditiſſimum quemque ac fortiſſimum in ſuas partes reciperent, eoſque milites haberent, qui ad præclarum aliquod facinus gerendum idonei viderentur. Hęc omnia initio videre non poteram, ſed nunc illis hoc fuiſſe propoſitum, cùm me experientia rerũ magiſtra docuerit, dubitare nõ poſſum. Quibus ita cõſtitutis, magná mihi cauſſam ſcandali præbuerunt, dum à nobis ſeceſſione facta, diſcipulorum noſtrorum partem in ſuam factionem illicientes, nos tum quidem prætereundos putarunt, vt poſtea cum ſuis in nos impetum facerent. tanta eſt iſtorum & tam admiranda calliditas.

Hæretici callidè egerunt.

Quale eſſet hæreticorum propoſitũ experientia rerũ magiſtra docuit.

Sed, vt ad propoſitum reuertamur, ſi iſti optimi viri aliter agendum putaſſent, fortè noſtro-

Hæreticos veridicos non eſſe, ex ſe ipſo auctor cognouit.

noſtrorum hominum compluribus ſe Dei prophetas eſſe perſuaſiſſent. Ego verò cùm liquidò ſciam illos de me mentiri, cùm me ventris cauſſa maiorum noſtrorum fidẽ prædicare tueriq́ue dicunt, quantumuis ſe veridicos ac probos eſſe iactitẽt; iis tamen fidem habere nulla ratione poſſum. Quid in mea mente agatur, ego melius quàm illi ſcio. Sed fortaſſe parum eſt, vt eós, cùm de me talia iactitarunt, ſciam eſſe mentitos, niſi id etiam aliis probauero, perſpicueq́ue monſtrauero.

Mẽdax quid facere conſueuit.

Illud igitur memoria tenendum eſt, omnes homines, qui bene mentiri ſtudent, aliqua veritatis ſpecie mẽdacia ſua veſtire oportere. alioqui omne mendacium ſua ſponte vaneſcit ac defluit. Iſta verò mendacia adeò aperta ac nuda ſunt, vehementer vt mirer eſſe quemquam qui iis credendum putet. Ventris cauſſa veritatis patrocinium me ſuſcepiſſe dicunt. Quis tantæ auctoritati audeat repugnare? immo verò quis gaſtrolatras iſtos & vẽtris animalia non miretur? qui vt ventrem ſuum carnibus luporum more diſtenderent, omnes eccleſiæ leges abiecto illius ſuauiſſimo iugo ruperunt, omnia iura violarũt; ij (ſi Deo placet) de vllo homine aliquid huiuſcemodi audent fingere? Sed vtri noſtrũ ventris cauſſa doceant ac prædicent, num ego qui certis diebus iuxta ſacroſanctas ma-

tris eccleſiæ Romanæ leges à carnibus abſtinendum eſſe dicens, vt caro quæ contra ſpiritum militat caſtigetur, & in ſpiritus ſeruitutem redigatur, ſæpius ipſe ieiuno, & intra anni circulum, non ſolùm aliquot diebus, verùm etiam perpetuis menſibus ab eſu carniũ abſtineo; an aduerſarij, qui non modò non ieiunant, ſed etiam nullo die neque quadrageſimæ neque vigiliarum neque veneris ieiunandum, aut à carnibus abſtinendum eſſe pronunciant, aliorum eſto iudicium. An obſcurum eſt, vtri noſtrum ventris cauſſa concionentur? Nónne illos potiùs, qui, vt ventrẽ carnibus diſtenderent, tantum tragœdiarum in orbem inuexerunt, ventris cauſſa omnia facere perſpicuum eſt? Ego verò contra ventrem ſanè declamo, cum Apoſtolo dicẽs: Bonum eſt non comedere carnes, & non bibere vinum. Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autẽ & hunc, & has deſtruet. Item cũ propheta: Cõuertimini ad Deum in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu. Vide igitur amice lector, quàm nudum & apertum ſit hoc mendacium, & quàm ab omni ſpecie veritatis alienum.

Gal. 5. 1. Cor. 9.

Quòd hæretici ventris cauſſa cõcionentur oſtenditur.

Rom. 14. 1. Cor. 6.

Ioelis 2.

Nec minus euidens eſt illud alterum, cùm me quæſtus & auaritiæ cauſſa concionari dicunt. O quàm turpe eſt illis tale aliquid dicere. Vter enim noſtrum quæſtus ac auaritiæ

Altera hæreticorum obiectio cõtra auctorem ſacta diluitur.

cauſſa

cauſſa concionatur? Egóne qui neque ſacras nec profanas ædes expilo, ſed hoc illicitum eſſe pronuncians, piorum eleemoſynis & benignitate ſuſtentor, an is qui omnia ſacra & profana compilat, idque licitum eſſe definit? Ego verò, ſi quæſtus & cupiditatis cauſſa concionari vellem, in aduerſariorum caſtra tranſirem, qui ſuis ſiue concionatoribus, ſiue miniſtris, tam ampla ſtipendia prębent, vt iis oſtiatim mendicare opus non ſit. Quod quàm laborioſum ac moleſtum ſit, omnes ſani capitis homines facilè mecum intelligunt. Quod ſi eorum miniſtris, quemadmodum nobis, faciendum eſſet; breui miniſtrum haberent nullum: ac tum demum iſtos ventris & auaritiæ cauſſa hactenus eſſe concionatos perſpicuum eſſet. Id ſi experiri velint, quod vt faciant rogo, quæ dico ita ſe habere cognoſcent.

Quòd hæretici ex auaritia concionentur.

Ego verò huic ordini, vt in paupertate viuam, ſponte nomen dedi. quòd ſi in ſæculo manere voluiſſem, non defuiſſet commodioris vitæ facultas. Verumtamen, vt & Dei obſequio, & animæ meæ ſaluti operam darem, calcato abdicatoque mundo, in locum atque ordinem humano iudicio miſerabilem mea ſpōte veni; nec eſt aliud quidquam, quod me inter iſtos perſecutionum aduerſum nos turbines ac procellas in hac egeſtate miſeriaque

riaque detineat, niſi illud quod mihi ab exordio propoſui. Quòd ſi alia eſſet mea mens & voluntas, nunc cùm ex regis (licet inuiti & neceſſitate coacti) edicto omnibus ſuo arbitrio viuere liceat, nec à magiſtratu metus vllus impendeat, ordinem hunc celeriter deſererem, & iſtorum ſecutus exemplum, nihil libertati licentiæque præferrem. Sed ſi hoc facerem, eſſem profectò deſertor & transfuga, & ad interitum ſempiternum cōcitatiſſimè tenderem, habens damnationem, vt ait Apoſtolus Paullus, quòd primam fidē, qua me Deo conſecraui ac ſponte deuoui, irritam facerem. Illud eſt vinculum, quo adhuc teneor, non vt iſti ſomniant, venter aut quæſtus. nam ſi ob cupiditatem licentiamq. viuendi meo ſtomacho concionarer, iam pridem in aduerſariorum caſtra trāſiſſem. Quid enim (ſecundùm carnem) illorum nefariis legibus ac ſecta poteſt eſſe iucundius? quid ſuauius? quid mollius? Cùm igitur homo ſim, nec humani quidquam à me alienum putem, ſed, quemadmodum ceteri, naturaliter appetam voluptates; optarem ſanè ex carnis appetitu, & quidem maximo pecuniæ (ſi quam haberem) diſpendio atque iactura illorum opiniones eſſe veras: ſi tamen Deus nobiſcum paciſci vellet. Quid enim carni optabilius atque dulcius ea ſecta quæ homi-

1. Tim. 1.

Hæreticorum ſecta carnis appetitui iucūda & grata eſt.

colore ac ſpecie mendacium ſuum veſtiant. Frater Chriſtophorus, inquiunt, nouit veritatem facere pro nobis, ſed ob cupiditatem & quæſtum, id eſt, vt in perpetua mendicitate permaneat, verum non vult dicere. quod tale eſt, ac ſi ita dicerent; vt ſemper oſtiatim mendicare liceat, ille ſe ſatanæ dedit. Nam qui contra veritatem, quam nouit, ſciens & volens concionatur, is ſe ſatanæ conſecrat. Quale autem eſt de homine alicuius iudicij illud dicere? Si mihi deliberatum eſſet me ſatanæ dare, planiorem ac iucundiorem profectò viam eligerem, per quam ad talem dominum peruenirem. moleſtum enim eſſet tali domino in tanta egeſtate miſeriaque ſeruire. ſiquidem poſt eius obſequium non niſi egeſtas & cruciatus manent: ſed pro Chriſti amore certantibus, ærumnas & tribulationes ſuſtinētibus, præparata eſt requies & corona, quam ſibi redditurum Dominum iuſtum iudicem dicebat diuus Paullus. Aliam igitur viam eligerem, nimirum eā per quam aduerſarij iter faciunt. quæ mihi ex carnis appetitu tam iucūda, ſuauis, amœna videtur, vt ipſe Epicurus ſi reuiuiſcat, amœniorem excogitare non poſſit. Et ſanè, niſi hanc interitus eſſe ſcirem, per eam iſtos ſequerer. Quid enim mihi poſſet euenire iucundius, quàm vt acta vitæ fabula voluptatis licentiæque

Quo colore ſuum mendacium veſtire hæretici nitūtur.

2. Timoth. 4

pleniſſima, ſecurus atq. alacer in cęlum, tamquam aliquis Ioannes Baptiſta, ſine vlla mora aut difficultate reciperer? Quid me ſtultius cogitari poſset? quid miſerius? ſi tam amœnum iter relinquerem? Itaque me illud iucundiſſimum iter niſi iis de cauſſis, quas modò expoſui, relicturum fuiſse nullus exiſtimet. Igitur vt hunc locum aliquando concludam & finiam, dicam aliquid, quo nihil arbitror verius. niſi certò ſcirem, abſque ſalutis æternæ vitæque diſpendio fidem à maioribus noſtris traditam me deſerere non poſse, iam pridem in aduerſariorum caſtra tranſiſſem. Neque ſolùm me illis partibus adiunxiſsem, verùm etiam plurimis fuiſsem auctor vt ſe in eadem caſtra conferrent, & ſub illis ſignis militarent; Lutherumque aut Caluinum, aut Melanchthonem, aut Oecolampadium, aut quemuis alium iſtorũ; qui omnes tametſi diuerſa itinera tenere videantur, tamen ad eundem libertatis ſcopum finemque perueniunt; ducem intrepidè ſequerentur. De quibus illud dicam, quod Lactátius Firmianus de philoſophis. Quos equidem (inquit) ſi putarem ſatis idoneos ad bene viuendum duces eſse, & ipſe ſequerer, & alios, vt ſequerentur, hortarer. ſed cùm inter ſe magna concertatione diſſideant, ſecumque ipſi plerumque diſcordent; apparet eorum

Lutherus & Caluinus & ceteri hæretici, licet inter ſe diſſideant, omnes tamen libertatẽ docent.

Lactantij de philoſophis ſententia.

eorum iter nequaquam eſſe directum. ſiquidem ſibi quique vt eſt libitum proprias vias impreſſerunt, confuſionemque magná quærentibus veritatem reliquerunt.

Nos verò, qui ab illa, quæ errare non poteſt (id eſt) à ſancta matre Eccleſia Romana veritatis firmamento & columna ipſam veritatem accepimus, omnes, qui illius cognoſcendæ ſtudio tenentur, ad librorum noſtrorum (in quibus ab iis quæ ex illa didicimus, ne latum quidem vnguem diſcedemus) lectionem inuitamus. Neque enim nobis hic aliud propoſitum eſt, quàm vt & fidé, quam ab illa traditam accepimus, Chriſti verbo omni ex parte quadrare, & aduerſariorum, qui Eccleſiam propè mille annis in errore atque idololatria, propterea quòd Chriſtum in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento adorauit, verſatam eſſe contendunt, criminationem falſam eſſe monſtremus. *Ab Eccleſia catholica veritatis columna non eſt recedendum.*

Antequam igitur rem propoſitam aggrediar, & quàm conformis atque conueniens verbo Dei ſit fides noſtra, quam de huius auguſtiſſimi ſacramenti maieſtate retinemus, exponam; operæpretium me facturum putaui, ſi Apologia, quæ hoc primo libro continetur, ad eorum quæ ſequuntur lectionem lectoris animum præpararem. qui neque reliquos noſtros libros intelligere, neque de iis *Fides noſtra.*

incorruptum ſincerumque iudicium, niſi antè compluribus animi morbis ac moleſtiis, quibus illum venenatæ aduerſariorum doctrinæ peſtis afflixerat, leuaretur, ferre poſſet. Cui cùm aduerſarij contra nos plurima falſò perſuaſerint, vt illius animum à nobis abalienatum retardarent atque impedirent, quominus de cauſſæ noſtræ æquitate noſtroque iure cognoſceret, neceſſarium fuit in hoc primo libro pluribus verbis agere, quàm initio conſtitueramus; vt & omnia, quibus iſti auditores noſtros à nobis auocare conantur, idque perficere, ne nobis deinceps fidem adhibendam putent, refellerem, & aduerſariorum dolos atque fraudes, quibus ad idiotas rudeſque capiendos abuti ſolent, tamquam in ſpeculo cunctis ſpectandas proponerem, & ipſum errorum omnium fontem oſtenderem, cauſſamque monſtrarem, cur iſti miſeri in tantam impietatis voraginem inciderint, vt ſacroſanctæ fidei ſuæ luce temerè deſerta ac prodita, in caliginoſis illis ignorantiæ tenebris oberrare mallent. Nec eſt vlla profectò apertior tanti mali cauſſa, (quemadmodum ſuperiùs oſtendimus) niſi ignoratio ſui, cum arrogantiæ & ſuperbiæ, quam quis de ingenij ſui atque doctrinæ fiducia concipit, inani tumore cõiuncta. Neque verò exſpectandum eſt, vt huius tempe-

Hæreticorum fraudes & dolos manifeſtare & proponere oportuit.

tempeſtatis, quam errorum violenti turbines excitarunt, finem aliquem atque exitum ante videamus, quàm ad ſe homines redeant, ſeſeque cognoſcant, & in priſtinæ humilitatis tutiſſimo portu acquieſcentes, eum, in quem à Deo vocati ſunt, gradum teneant; nec de iis, quæ non didicerunt, audeant iudicare. *Quid nobis faciendum ſit.* Porrò dum vnuſquiſque id ſolum quod ſibi videbitur credet, nihil aliud in orbe Chriſtiano, niſi opinionũ varietas atque confuſio reperietur, & tam multi in dies ſingulos naſcẽtur errores, vt inter diuerſarum hæreſum *Vnde naſcantur errores.* monſtra atque portenta veritas à quærentibus inueniri non poſſe videatur. Illud quoq. maximum & natura omnibus inſitum deſiderium, quo aduerſariorum ſiue fidem ſiue opinionem omnes veram eſſe vellent, propterea quòd corporis noſtri voluptatibus, ad quas propenſi ſumus, magnopere quadrat & conuenit errori diſſeminando nõ parum profuit, qui pleriſque tam iucundus & gratus eſt, vt cõtra eum nihil iam audire dignentur.

Nos verò pro noſtra mediocritate, quibus modis veritas opprimatur, non indiligenter expoſuimus, aduerſariorum dolos fraudeſq. magna ex parte deteximus, iudicum ab iis delectorum imprudentiam ſtultitiamq mõſtrauimus, quantumque illi in condemnandis maioribus noſtris, eorumque fide (quam

nos quoque retinemus & ſequimur) reiicienda, iniquitatis admiſerunt, oſtendimus. Reſtat vt à lectoribus, ſi qua eos ſalutis cura tangit, petamus, vt in quos laqueos tantam hominum multitudinem inductos vident, vt & nouum ſequerentur errorem, & antiquę fidei veritatem impiè nefarieque damnarent, ſolicitè fugiant & caueant, nec de tam magna cæleſtique cauſſa temerè audeant iudicare. Quod profectò facient, ſi omnes rectè iudicandi leges quas in hoc libro expoſuimus, ſequantur. Id niſi erit factum, fieri non poteſt quin alteri partium inferatur iniuria. Caueát igitur ne in huius cauſſæ, ex qua eorum ſalus pendet, iudicio ab itinere veritatis aberrent. videant etiam atque etiam, ne ſanctiſſimos illos atque iuſtiſſimos patres erroris impietatiſque condemnent, hæreticos autem eorum aduerſarios ſua ſententia abſoluant. Nam, vt diuina ſcriptura pronunciat, qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, vterque abominabilis eſt apud Deum. Non ergò leue peccatum eſt, tot tantoſque viros, qui ante hæreticorum ſæculi noſtri triſtem aduentum in Dei Eccleſia glorioſiſſimè floruerunt, erroris idololatriæque damnare. Hæreticorum autem, qui omnia erroribus, rapinis, cædibuſque fœdarunt, impiam factionem abſoluere. Si quis igitur idoneus eſt, qui de huius

Lectores admonētur quid eos cauere & fugere oportet.

Prouerb. 17.

cauſſæ

cauſſæ dignitate cognoſcat, is temeritatem, qua nihil à ſapientis grauitate diſiunctius, in primis vitet ac fugiat; nec de eo quod nondũ intelligit, ſententiam ferat. A quo humanitatis iure peto, ne maiores ſuos ante condemnet, quàm viginti, aut triginta annos in ſacrarum litterarum lectione ſtudioque conſumpſerit. Aliis autem, qui ad iudicandum inepti ſunt, nihil expeditius, nihil ſalubrius, nihil certius eſſe video, quàm vt iudicandi temeritate depoſita, totius Romanæ Eccleſiæ iudicio ſententiaque cõtenti, in hac quaſi in tutiſſimo portu acquieſcant; cui credentes, ſi, quod fieri nullo modo poteſt, à veritate aberrarent, non ſolùm apud homines, verùm etiam apud Deum, qui eccleſiam audire eiq. *Luc. 10.* obtemperare nos præcipit, excuſationem haberent. Hoc eſt maximum tutiſſimumque compendium, quo ad veritatis adytum ſine periculo perueniri poteſt. Qui hoc noſtrum conſilium ſequi nolunt, ſed antequam credant, intelligere cupiunt; in ſequentibus libris elaborabimus, vt iis fidei veritatem, quãtum ad auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramẽtum attinet, ita diligenter exacteque monſtremus, neminem vt futurum putemus, cui noſter labor non ſatiſfaciat; niſi fortè is, qui noſtra attentè legere, omneſque rationes & teſtimonia, quæ ad fidei confirmationem ad-

Eccleſiam audire eiq; obtemperare, tutiſſimum eſt compendiũ ad veritatis adytum.

feremus, intelligere grauabitur.

His ita poſitis, vnuſquiſque ab omni vitioſo humore, qui de peſtiferis hæreticorũ cibis in illorum animis coaluit atq. concretus eſt, ſeſe purget, atque ad proximam Apologiam præparet. in qua claro & expreſſo Dei verbo Romanæ Eccleſiæ fidem de reali Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento præſentia, veram & Apoſtolorum Euangeliſtarumque doctrinæ conuenientem eſſe monſtrabimus. Nunc Deum opt. max. precor, vt omniũ fidelium mentes diuini ſpiritus ſui luce perfundat, vt ij Catholicæ fidei veritatem agnoſcant, ſine qua quidquid ſanctitatis habere videantur, ſalui eſſe non poſſunt. Nã, vt ait Apoſtolus Paullus, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Et alibi: Vnus Deus, vna fides, vnũ baptiſma, vna Eccleſia, extra quam nulla ſalutis ſpes eſt. Cùm igitur tanta ſit fidei neceſſitas, quæ fides extra eccleſiam Romanam non eſt, ad eã cognoſcendã omnes, qui ad ſalutẽ peruenire deſiderãt, ante omnia elaborare debent.

Hebr. 11.
Ephes. 4.

Det Deus toti mundo gratiam cognoſcẽdi fidem, errantibuſque concedat ad rectum iter regredi; iis verò qui eam cognoſcunt ac retinent, vt in eius confeſſione permaneant, & opera quæ fidei conueniunt, habeant: vt omnes tandem ad portum ſalutis æternæ peruenire poſſimus. Amen.

LAVS DEO.

INDEX RERVM PRÆ-CIPVARVM QVÆ HOC *libro continentur.*

A.

De Abuſibus non eſt quæſtio. Pag. 292

Acerbum eſſet D. Hieronymo audire orationem hæretico-rum. 113

Adire ſcholas hæreticorũ viris doctis moleſtiſſimũ eſt. 113

Admonitio ad reges Chriſtianos. 290

Adoleſcentia qualis ſit. 161

Adoleſcentes libenter ſuſceperunt hæreticorum libros ſuis affectibus reſpondentes. 246

Aduentus hæreticorum ſupplicium fuit. 69

Adulatione vti hæretici conſueuerunt. 154

Aequitas nulla in hæreticis. 56

Affectus odij vel amoris quid præſtat. 329

Agere gratias debemus illis qui ab hæreticorum erroribus Dei gratia nos liberauerunt. 195

Agere temerè in re graui dementia eſt. 51

Agnoſcit magis quid ſibi deſit qui in litteris eſt verſatꝰ. 166

Alexandri paraſitus Medius. 214

Aliorum peccata per libellos famoſos proponentes ſcanda-lum immittunt. 348

Allocutio pia ad Catholicos Principes. 262

Allocutio pia ad Chriſtum. 29

Amor diuerſus, quo hæretici nunc ſuam ſectam recipiunt, & quo antea legem Euangelicam recipiebant, oſtendi-tur. 315

Amoris tenebræ cæcitatem intellectui afferunt. 330

Andabatarum mores hæretici imitantur. 346

Antecellere ſe alios factis & operibus hæretici teſtãtur. 137

Antichriſti & Chriſti diſcrimen. 44

Ad antiquos doctrinæ fontes recurrendum eſt. 286

Antiqua ſententia: Qui nihil ſcit, de nullo dubitat. 236

[redacted] ſuarum vitium imbecillitatem pro-bauit. 165

Apoſtoli Chriſti differunt ab hæreticis. 74

Arbitrantur hæretici ſe doctiores eſſe Caluino. 135

Argu-

Argumentationes diſparatæ & impertinentes hæreticorum. 263. 294. 338.
Argumentationes plures ſophiſticæ & falſæ hæreticæque in ſimili forma cum ſophiſmate *Bezæ* ſequuntur. 226
Argumentationes ſophiſticæ hæreticorum diluuntur. 282
Argumentum contra hæreticos ex ſuis verbis deſumptum. 178. 275.
Argumento cuidam hæreticorum reſpondetur. 268
Argumentum efficax contra hæreticos. 268. 277. 286
Argumentum efficax contra hæreticos ex eorum petitione procedens. 178
Argumenti eſſentiã qualiter Beza hæreticus corrupit. 103
Argumentum euidens contra hæreticos proponitur. 130
Arma nobis reliquerunt antiqui patres cõtra hæreticos. 72
Arrianorum contra Athanaſium impietas. 359
Arrogantia hæreticorum oſtenditur. 136
Arrogantia hæreticorum in exponendis ſacris ſcripturis proponitur. 116
Ars quæque totum hominem deſiderat. 94
Artifex in ſua arte iudex, non in aliena ſit. 92
Aſtutia hæreticorum. 107. 180.
Aſtutia qua vſi ſunt hæretici, vt ſcientiarum profeſſores & ſcholaſticos in errores inducerent. 172
Auaritia hæreticos ad concionandum impellebat. 368
Auctori ab hæreticis laudari diſplicet. 361
Auctoris conſtantia. 362
Auctoris intentio. 15
Auctor intendit detegere dolos hæreticorum. 143
Auctori quare hæretici blandiebantur. 360
Audientes ab hæreticis falſa dogmata, quam diligentiam adhibere teneantur. 239
Audire declamationes hæreticorum periculoſum eſt. 106
Audire oportet Deum magis quàm homines. 28
Auguſtini ſententiam qualiter Beza corrupit. 102

B

Berengarius conuictus fuit. 333
Berengarij impietas damnatur. 334
Beza hæreticus. 101
Beza hæreticus qualiter Auguſtini ſententiam corrupit. 102
Bezæ

Bezæ hæretici ſophiſma. 224
Beza imitatur fraudes Sinonis. 56
Beza in ſuo ſophiſmate quod eſt manifeſtum quare longius probat. 225
Bezam malitiosè veritatem oppugnare oſtenditur. 103
Beza publicè mentitur. 104
Beza ſuo mendacio plures ſeduxit. 105
Blaſphemia hæreticorum. 21
Bona aliorum eripienda ſuadebant hæretici. 301
Britannicum prouerbium. 344

C

Cæcitatem adferunt amoris tenebræ. 330
Cæcus non iudicat de coloribus. 207
Cædes crudeliſſima ab hæreticis perpetrata. 290
Cælum ingredi oportet multis tribulationibus. 321
Callidıtatem Hannibalis imitantur hæretici. 360
Callidum hæreticorum conſilium vt eorum ſententia approbaretur. 151
Caluino ipſo ſe doctiores arbitrantur hæretici. 135
De Calumnia dictum egregium Demoſthenis. 215
Caput totius iniquitatis Galliæ quod fuerit. 186
Carè emitur quod precibus emitur. 337
Cauſſam parentum tueri pium eſt. 52
Cauſſarum plura genera. 57
Cauſſarum ſtatum ſuis imperitis iudicibus hæretici celant, vt veritatem occultent. 233
Chriſtianorum mores & vita. 11
Chriſtianis quid ſit præceptum & neceſſarium. 123
Ad Chriſtum pia allocutio. 29
Chriſti & Antichriſti diſcrimen. 44
Chriſtus & diabolus contrariam doctrinam docent. 303
Chriſtus in Euchariſtia quare eſſe voluit. 30
Chriſtus non legitur ſtultos ſanaſſe. 187. 188
Chriſtus primus eccleſiæ doctor. 55
Chriſtus quare idiotas ignobiles elegit. 304
Chriſti vicario Roma potentiſſima ſe ſubdidit. 256
Chriſti victoria in ſummi Pontificis pedum oſculo qualiter eluceat. 154
Chriſtus voluit vt paſtoribus etiam impiis obtemperemus.

mus. 285
Cleri totius vitam & mores hæretici impetunt. 266
Cochlæus à Luthero ſuſcitari non potuit. 62
Cognitionem Theologicarum controuerſiarum quare hæretici à catholicis eripere conantur. 117
Cognoſcuntur hæretici ex operibus ſuis. 65
Commiſeratio ſaltem aliqua in hæreticis eſſe debet. 57
Conciliis generalibus optimè congregatis obtemperandum eſt. 94
Concilia œcumenica reſpuunt hæretici. 181
Concilium vniuerſale aptus iudex. 95
Concionabantur hæretici ventris cauſſa. 367
Conciones hæreticorum audire eſt periculoſum. 106
Concionatores quare hæretici infamant. 359
Conditiones optimi iudicis. 86. 87. 88
Confidentia ſui ingenij hæreticos decepit. 97
Confutat D. Hieronymus eos qui diuinarũ ſcripturarum facilitatem iactant. 114
Conſequentiæ impertinentes hæreticorum. 263
Conſilium callidum hæreticorum, vt eorum ſententia approbaretur. 151
Conſilium hæreticorum, vt deliciis ſatiarentur. 322
Conſilium quod inuenerunt Catholici in errorum tempeſtate. 200
Conſtantia auctoris. 362
Conſuetudo Hebræorum in ſcripturis legendis. 146
Conſuetudo iniqua contra religioſos introducta. 346
Conſulendum fratribus, vt ab hæreticis fugiant. 67
Contradicere hæretici ſibi videntur. 78. 107. 108. 132
Contradicere ſibi mendacibus proprium & commune eſt. 107
Controuerſia Theologica quanta deſideret. 235
Credere & intelligere differre oſtenditur. 242
Credendum quare non ſit inimico. 359
Credendum quibus ſit in fidei cauſſa. 141
Crudelitas hæreticorum oſtenditur. 33. 41. 289
Crudelitate ſua hæretici mundum offenderunt. 308
Cupiditatibus fauent hæretici. 321
Cura maxima adhibenda in ſpiritualis ſalutis cauſſa. 89
Cura maxima adhibenda in eligendis medicis ſpiritualibus & corporalibus. 96

Dauid,

D.

Dauid, licet adulterium commiſit, verus tamen Propheta fuit. 269
Decepti ab hæreticis magna alacritate ſectam eorum amplectebantur. 313
Declamationes hæreticorum audire periculoſum eſt. 106
Defectus ſophiſmatis argumenti Bezæ. 225
Dementia eſt in re graui temerè agere. 51
Demoſthenis dictum egregium de calumnia. 215
Deliciis dediti quare legem euangelicam abiiciebant. 321
Deliciis vt ſatiarentur conſilium hæreticorum. 322
Deſcriptio falſæ doctrinæ ſub ſpecie mulieris adulteræ. 326
Detractores dubia in deteriorem partem iudicant. 310
Deo & Sanctis diuerſus honor tribuitur. 80
Dei ira contra incredulos. 126
Deum magis quàm homines audire oportet. 28
Deus quæ ſunt fidei interiùs docet. 49
Deus qualiter puniat eos qui ſibi ſapientes videntur. 139
Deus quales prophetas miſerit. 285
Deus quare permittat mala. 302
Deus quare hæreticos in manifeſtos errores labi permiſit. 318
Deum ſibi obligatum hæretici affirmant. 307
Deus ſolus potuit deiicere Regum potentiam. 257
Dei ſpiritus eſt ſpiritus pacis. 75
Dei verbum gladius. 45
Deus verax in verbis & promiſſis ſuis. 276
Diabolus & Chriſtus contrariam doctrinam doceant. 303
Diabolus quales miniſtros mittat. 285
Diabolus quare potentes miniſtros elegit. 305
Dialecticæ imperitus, in theologia ineptus iudex cenſetur. 228
Dialecticæ neceſſitas. 222
Dialecticæ parum perito homini periculoſum eſt cum hæreticis diſputare. 227
Diluuntur argumentationes ſophiſticæ hæreticorum. 282
Diſcipulorum duo ſunt genera. 145
Diſcipuli hæreticorum admoneantur vt iram Dei fugiant. 246

Diſcrimen Chriſti & Antichriſti. 44
Diſcrimen inter Apoſtolos Chriſti & hæreticos. 74
Diſcrimen inter prædicationem legis euangelicæ, & promulgationem ſectæ hæreticorum. 308
Diuerſis diuerſa conſulenda pro intellectus capacitate. 122
Diuerſa genera hominum. 45
Diuerſitas magna inter hæreticos & confuſio inuenitur. 168
Diuina myſteria quibus oſtendantur, & quibus contrà abſcondantur. 165
Docetur quo erroris fundamento hæretici alios errare fecerunt. 117
Doctores eccleſiæ arrogantiſſimè reiiciunt hæretici. 127
Doctor primus Eccleſiæ Chriſtus. 55
Doctrina Chriſtiana & euangelica omnia vitia deteſtatur. 271
Doctrinæ falſæ ſuauitate hæretici decepti ſunt. 327
Doctrina noua hæreticorum ſe ſuſpectam eſſe oſtendit. 64
Doctrina quando falſa dicenda ex malis operibus. 269
Doctrinæ tradendæ quem modum obſeruandum Paullus ſcripſit. 147
Dogmata falſa ab hæreticis audientes quam diligentiam adhibere teneantur. 239
Dolos hæreticorum detegere auctor intendit. 143
Dubitat de nullo qui nihil ſcit. 236
Dubia in deteriorem partem iudicant detractores. 350
Dubitans in fide quomodo infidelis cenſendus. 125

E.

Eccleſia catholica Romana in inſtituendis filiis ſuis quem modum ſeruauerit. 148
Eccleſias & templa quare hæretici ſpoliare decreuerint. 300.
Eccleſiæ iudicio priuatorum hominum opinionem anteponere ſtultiſſimum eſt. 335
Ab Eccleſia non eſt recedendum. 373
Eccleſiæ obtemperare tutiſſimum. 377
Eccleſiæ primus doctor Chriſtus. 55
Eccleſiæ priuilegium quod ſit. 141

Eccleſia propter aliquorum eius filiorum peccata non eſt maledicenda. 270
Eccleſia quare interdicat libros hæreticorum. 148
Eccleſia ſancta catholica Romana nobis magiſtra data eſt. 140
Eccleſia ſancta inuita in filiis ſuis peccata tolerat. 292
Eccleſiæ victoria. 255
Eccleſiaſticos vt arguant omnes alias quæſtiones omittunt hæretici. 266
Empirici medici. 95
Errores in antiquorum libris copiosè refutati ſunt. 202
Errorum magna diuerſitas confuſioque inter hæreticos inuenitur. 168
In errorum tempeſtate quod conſilium catholici inuenerint. 200
Errores vnde naſcantur. 375
Euangelicam legem & ſectam hæreticorum differre oſtenditur. 308
Euangelium melius Theologus quàm quiuis alterius profeſſionis intelliget. 169
In Euchariſtia quare Chriſtus eſſe voluit. 30
In Euchariſtiæ ſacramento quid fideles annotare debeant. 231
Experientia quid hæretici intenderent docuit. 178

F.

Faciendum à nobis quid ſit. 375
Facta crudelia hæreticorum narrantur. 289
Falſæ doctrinæ deſcriptio ſub ſpecie mulieris adulteræ. 326
Falſa locuti ſunt hæretici. 50
Falſas opiniones quas hæretici Chriſtianis adſcribunt, negare ſufficiens ſatisfactio eſt. 216
Familiaritas hæreticorum maximè vitanda eſt. 120
Fidem affectibus ſuis reſpondentem quęrunt hæretici. 244
Fidei Chriſtianæ perniciem adfert hæreticorum ſuperbia & audacia. 170
Fideles in ſacramento Euchariſtię quid adorare debeāt. 232
Fidem catholicam deturbare hæretici conantur. 240
Fidei catholicæ pudor, integritas & veritas ad ſuos ample- 248

xus inuitat. 247
Fidem catholicam quatenus hæretici odio habent. 316
Fidei ſtabilitas non in hominis inſtabilitate fundatur. 272
Fidem intelligere quid ſit. 242
Fidei noſtræ antiquitas. 333
Fidei noſtræ confirmatio. 334
Fidem noui aduerſariorum iudices non intelligebant. 243
Fidei quæ ſunt Deus interiùs docet. 49
Fides quid ſit. 47. 125
Fidem reſpondentem ſuis affectibus hæretici quærebant. 245.
Fons plurimorum malorum quis ſit. 96
Franciſcani equitantes temerè ab alienæ vitæ cenſoribus iudicantur. 352
Franciſcanus ordo voluntarias eleemoſynas pro reditibus habet. 337
Fratres ab hæreticis remouendo ipſis hæreticis beneficium confertur. 67
Fratribus conſulendum vt ab hæreticis fugiant. 67
Fraudes quibus rudes idiotas hęretici decipiunt. 131. 144
Fraudes Sinonis Beza imitatur. 36
Fraudulenta perſuaſio hæreticorum. 153
Fructus humanæ imbecillitatis peccata. 271
Fundamentum hæreticorum infirmum. 28

G.

Gallicum prouerbium. 95
Galliæ iniquitatis totius caput quod fuerit. 186
Galliæ Reges per manuū impoſitionem ægros curant. 179
Galliæ regem qualiter hæretici decipere conantur. 173
Genera diuerſa hominum. 46
Genera plura cauſſarum. 57
Geneua hęreticorum ſpelunca. 37
Gladius eſt verbum Dei. 45
Grammaticæ vtilitas. 222
Gratias agere debemus illis qui ab hæreticorum erroribus Dei gratia nos liberarunt. 195
Gratias hæretici quibus agere debeant. 68
Graui in re temerè agere, dementia eſt. 51
Guiſianus dux ab hæreticis interfectus. 289

H.

Hæreſes ab antiquis temporibus 71
Hæretici à quo miſſi ſunt. 70
Hæretici adoleſcentuli Regis animum turbare conabantur. 176
Hæretici adulatione vti conſueuerunt. 154
Hæretici ædificant ſupra impietatis fundamentum errorum molem. 124
Hæreticorum altera obiectio contra auctorem. 367
Hæreticis aſſeuerantibus ſe Spiritum ſanctum habere non eſt credendum. 363
Ab Hæreticis auctori laudari diſplicet. 361
Hæreticorum cæcitas. 263
Hæreticorum callidum conſilium vt eorum ſententia approbetur. 151
Hæreticorum captioſa argumentatio. 338
Hæretici cenſendi ſunt ſtulti, ſancti patres ſapientes. 324
Hæretici circa ſuos iudices quid facere debuerunt. 206
Hæreticorum conſuetudo. 357. 358
Hæretici contendebant iudices ſolùm alteram partem audire debere. 196
Hæretici contra inauditam partem ſententiam proferunt. 199.
Hæretici contra monachos deprauato animo libellos conſcripſerunt. 346
Hæretici depaſcuntur Domini vineam. 98
Hæretici doctores eccleſiæ arrogantiſſimè reiiciunt. 128
Hæretici eccleſias & templa quare ſpoliare decreuerint. 300.
Hæreticos errare ex eorum verbis deprehendimus. 132
Hæretici ex aliquorum clericorum peccatis errores ſuadent. 279
Hæretici ex animo ſuo maiorum patrum virtutem æſtimant. 338
Hæretici ex auaritia concionabantur. 368
Hæretici ex operibus ſuis agnoſcuntur. 65
Hæretici ex peccato vnius religioſi omnes religioſos condemnant. 345
Hæretici ex quibus fructibus cognoſci debeant. 291
Hæretici falſę doctrinæ ſuauitate decepti ſunt. 327

Hæretici falſa promittunt. 111
Hæretici fidem catholicam ex ſua antiqua poſſeſſione deturbare conantur. 240
Hæreticorum fidei mutabilitas. 278
Hæreticorum fraudes manifeſtare oportet. 374
Hæreticorum fraudulentiſſima ſophiſmata. 224
Hæreticos fugere oportere. 63. 67. 120
Hæreticorum iactantia mundo nocuit. 98
Hæretici iactant ſe ſapientes. 127
Hæreticorum impietas. 53
Hæreticorum impia obiectio diluitur. 59
Hæreticorum impudentia. 128
Hæretici incumbunt in aliorum vita examinanda. 251
Hæretici in eccleſiaſticorum odium ſuos iudices commouere ſtudent. 250
Hæreticorum infirmum fundamentum. 28
Hæretici iniquè ſe iudices conſtituunt. 77
Hæretici in religioſos viros & ſacerdotes impetum faciunt. 333.
Hæretici inſani iudicantur. 138
Hæretici in ſcriptura verba mutant. 24
Hæreticorum inſipientia. 264
Hæretici in ſuorũ magiſtrorũ verba iuraſſe videntur. 329
Hæretici iudicant ſe poſſe comprehendere rationem omnium eorum quæ Deus facere poteſt. 192
Hæreticorum iudicium temerarium & iniquum. 211
Hęretici iura omnia reſpuunt. 17
Hæretici meritò comparantur Sirenibus. 150
Hæretici nouum aſtutiæ genus excogitarunt. 180
Hæretici nullo teſtimonio vocationem ſuam probant. 61
Hæreticorum obiectio contra auctorem retunditur. 367
Hæretici odio obcęcati veritatis lumen nequeunt aſpicere. 261
Hæretici omnia ſibi ſecura promittunt. 325
Hæretici oſtendentes facilitatem ſcripturarum quanta damna immiſerint. 106
Hæreticorum propoſitum experientia docuit. 365
Hæretici qua aſtutia vſi ſint vt ſcientiarum profeſſores & ſcholares in errores inducerent. 172
Hæretici quærebant iudicem ſuis erroribus fauentem. 154
Hæretici qua in re maximè gloriantur. 213

Hæretici quando ad ſeipſos appellare dicantur. 159
Hæretici quare contra eccleſiam ſententiam tulerint. 84
Hæretici quare eripere conentur à Theologis viris Theologicarum controuerſiarum cognitionem. 117
Hæretici quibus fraudibus rudes & idiotas decipiunt. 144
Hæretici quibus gratias agere debeant. 68
Hæretici quo colore ſuum mendacium veſtire nitũtur. 371
Hæretici quomodo iuuenes inducebant in errores. 171
Hæretici quomodo plures nobiles decipere potuerunt. 172
Hæretici quomodo vſi ſunt officio iudicis ſibi vſurpato. 196.
Hęretici quorum gratiam & fauorem priùs ſibi conciliare ſtuduerint. 152
Hęretici reſpuunt concilia œcumenica & theologos in fidei cauſſis. 181
Hæreticorum ridicula reſponſio. 82
Hæreticorum ſæua opera homines ab eorum doctrina remouent. 75
Hæreticorum ſecta carni iucunda. 370
Hæretici ſe non cognoſcunt. 129
Hæretici ſibi contraria dicere videntur. 78.106
Hæretici ſibi noua itinera fingunt, quæ ipſos in præcipitium ducunt. 183
Hæretici ſimiles eſſe cenſentur litigatoribus pertinacibus. 155.
Hæretici ſine æquitate procedunt. 56
Hæretici ſuadebant aliorum bona eſſe eripienda. 301
Hęreticorum ſuaſio ad iudices. 197
Hæretici ſuam ſcientiam & Dei potentiam æquales faciunt. 191
Hęretici ſuam ſectam defendentes, ſibi contradicentes damnant. 133
Hęretici ſuam ſectam à Deo eſſe contendebant. 314
Hęretici ſuis ſtipendiis quos alant. 298
Hęretici ſunt ſeductores. 336. 364
Hęretici ſuo Caluino ſe doctiores arbitrantur. 135
Hæretici ſuorum falſorum magiſtrorum amore ducti ab illis fidei pugnantia receperunt. 328
Hęretici ſuos libros legendos eſſe qualiter ſuaſerint. 144
Hęretici ſuos iudices in noſtrum odium accendunt. 336
Hęretici ſuum mendacium veſtire intendunt. 371

Hæreticorum ſuperbia. 13.127
Hæreticorum varia erronea dicta. 193
Hęretici ventris cauſſa concionabantur. 367
Hæreticos veridicos non eſſe. 366
Hęretici vtuntur fraudibus & dolis Rhetorum ad defendendam ſuam cauſſam. 231
Hannibalis calliditatem hęretici imitantur. 360
Hebræorum conſuetudo in ſcripturis legendis. 146
D. Hieronymo acerbum eſſet audire orationem hæreticorum. 113
D. Hieronymus carpit duo hominum genera. 185
D. Hieronymus confutat eos qui facilitatem diuinarum ſcripturarum iactant. 114
D. Hieronymus quam viam in diſcendo tenuit. 115
D. Hieronymus ſcripturæ quomodo vacabat. 109
Hominum genera diuerſa. 45
Homines mundani ad ſui cognitionem inuitantur. 194
Homini parum in Dialectica verſato cum hæreticis diſputare periculoſum eſt. 227
Homines ſe eſſe ignorant hæretici. 131
Honor diuerſus Deo & Sanctis tribuitur 80

I.

Iactantia hæreticorum mundo nocuit. 97
Idiotas ignobiles quare Chriſtus elegit. 304
Idololatria ex corde naſcitur. 252
Impetum faciunt hæretici in totius cleri vitam. 266
Impietas hæreticorum oſtenditur. 53
Impudentia hæreticorum retunditur. 101.111
Incredulitas & ſuperbia in hæreticis inueniuntur. 125
Increpatio contra hæreticos. 263
Ingenia lectorum confundere ſtudent hæretici. 293
Ingenij ſui confidentia hæreticos decepit. 97
Inimico quare non ſit credendum. 359
Inſania hæreticorum magna eſt. 138.143
Intelligere & credere differunt. 242
Intentio auctoris. 15.143
Intentionem hæreticorum experientia docet. 178
Iram Dei timeant hæretici eorumque diſcipuli. 246
Ira Domini contra incredulos. 126

Ira & odium à iudicis animo remouenda. 250
Ira rationis vſum impedit. 249
Iudicandum non eſt, eum qui ſemel peccauit, ſemper in peccato eſſe. 354
Iudices ab hæreticis electi quàm ignari fuerint oſtenditur. 208.
Iudicem altera tantùm parte audita iudicium ferre iniquum eſt. 242
Iudex bonus accuſatori temerè non credit. 210
Iudicum ciuilium prudentia imitanda eſt. 295
De Iudicibus eligendis Platonis ſententia. 249
Iudices hæreticorum quid facere debuerunt. 341
Iudex in cauſſis qualis deſideratur. 90
Iudex ineptus cenſetur in Theologia qui dialecticæ imperitus eſt. 227
Iudicum iniquorum iniuſta excuſatio confunditur. 239
Iudices iniqui pro accuſatorum libidine iudicant. 332
Iudices iniqui hæreticorum vnico illorum verbo credunt. 342.
Iudex in ſua arte, non in aliena eſſe debet. 92
Iudicis officium quid poſtulet. 237
Iudicis officio quomodo hæretici ſunt vſi. 196
Iudicis optimi conditiones. 86. 87. 88. 139
Iudicem pro ſe dicentem quærunt hæretici. 160
In Iudice qualis ſapientia deſideretur. 139
Iudicis ſapientis & æqui ad reum qualia verba eſſe debeant. 238.
Iudices ſe iniquè conſtituunt hæretici. 77
Iudices ſolùm alteram partem audire debere contendebant hæretici. 196
Iudicem ſuis erroribus fauentem quærebant hæretici. 154
Iudicibus ſuis imperitis hæretici celant ſtatum cauſſarum, vt veritatem occultent. 213
Iudicis verba ad reum. 238
Ex iudiciis hominum corruptis quid naſcatur. 348
Iudicium hæreticorum temerarium & iniquum. 211
Iudicij ſupremi officium hæretici vſurpant. 84
Iugo legis Principes ſubiiciuntur. 254
Iura omnia reſpuunt hæretici. 17
Iuuenes audaciores ſunt ad iudicandum. 163
Iuuenes quomodo hæretici in errores inducebant. 171

L.

Lactantij de philoſophis ſententia. 372
Lectores admonentur. 376
Lectorum ingenia confundere hæretici ſtudent. 293
Lectorum ſanum iudicium deſideratur. 22
Legem diuinam ſcire quid ſit. 99
In legibus grauitas, prudentia, maturitas deſiderantur. 162
Leuitas hæreticorum. 34
Leuitas hęreticorum quanta ſit. 219
Leuitas vulgi. 40
Lex pro iuuenibus. 161
Lex quid requirat. 162
Per libellos famoſos aliorum peccata proponunt & ſcandalum immittunt hęretici. 348
Libellos famoſos contra Franciſcanum ordinem hęretici conſcripſerunt. 347
Libertatem docent omnes hęretici, quamuis inter ſe diſſentiant. 372
Libros antiquorum patrum legere oportet. 204
Libros antiquorum patrum quare hęretici interdicant. 205
Libros catholicos quare interdicant hęretici. 201
Libri hęreticorum quare interdicantur. 121. 148. 241
Libros hæreticorum ſuis affectibus reſpondentes, adoleſcentes libenter ſuſceperunt. 246
Libros ſuos legendos qualiter ſuaſerint hęretici. 144
Licentiam ad peccandum hæretici tribuunt. 336
Litigare cum hæreticis, ſimplicioribus non conuenit. 123
Litigatoribus pertinacibus ſimiles cenſentur hęretici. 155
Ad litteratos omnes pia obteſtatio. 206
In litteris verſatus magis agnoſcit quid ſibi deſit. 166
Lutherus ad ſe appellat. 158
Lutherus Cochlęum ſuſcitare non potuit. 62
Lutherus hęreticorum coryphęus & anteſignanus. 363
Lutheri impia diligentia. 156
Lutheri inſolentia contra academias. 155
Lutherus plures decepit. 157
Lutherus quando academias veneratur. 158

M.

Magiſtros nouos quare hęretici libenter recipiunt. 305

Mahumeto ſimiles hæretici eſſe cenſentur. 507
Malorum plurimorum fons. 96
Mala quare Deus permittat. 302
Mariam virginem ſalutare angelus nos docuit. 318
Marſupium commune & arcam contra fideles hæretici inſtituunt. 297
Medicis ſpiritualibus & corporalibus eligendis maxima cura adhibenda eſt. 96
Medius Alexandri paraſitus. 214
Mendacium hæreticorum contra Chriſtianos. 212
Mendacibus proprium & commune eſt, ſibi contradicere. 107.
Mendax quid facere conſueuit. 366
Mendacio ſuo Beza plures ſeduxit. 105
Miniſtros quales mittat diabolus. 285
Miſeria hæreticorum magna eſt. 142
Monachi quare voluntariam paupertatem elegerunt. 350
Mores Chriſtianorum & vita. 11
Mulieri adulteræ falſa doctrina comparatur. 326
Mulieri meretrici hæretici comparantur. 320
Mundi & hæreticorum inſipientia. 264
Mundani homines ad ſui cognitionem vocantur. 194
Mutabilitas fidei hæreticorum. 278
Mutant hæretici verba in ſcriptura. 24
Myſteria diuina quibus oſtendantur, & contrà quibus abſcondantur. 165

N.

Neceſſitas dialecticæ. 222
Negare falſas opiniones quas hęretici Chriſtianis obiiciũt, ſufficiens ſatisfactio eſt. 216
Nobiles complures quomodo hæretici decipere potuerunt. 172
Noſſe ſeipſum prima pars philoſophiæ eſt. 183
Nouos magiſtros quare hæretici libenter recipiant. 315
Nutricis prudentis modus in infantis educatione. 147

O.

Obiectio impia hæreticorum. 58. 59

Obteſtatio pia ad omnes lectores. 14. 206
Odij & amoris affectus quid præſtat. 329
Odio excæcati hæretici veritatis lumen aſpicere nequeunt. 261.
Odium hæreticorum. 14
Operis huius ſcopus. 14
Ex operibus malis quando doctrina falſa dicenda. 269
Opera ſæua hæreticorum homines remouent ab eorum doctrina. 75
Ex operibus ſuis hæretici cognoſcuntur. 65
Ordo Franciſcanus voluntarias eleemoſynas pro reditibus habet. 317
Oſculo pedis ſummi pontificis quid proteſtemur. 254
Ouina pelle occultantur hæretici. 65

P.

Parentum cauſſam tueri pium eſt. 52
Paſtoribus etiam impiis vt obtemperemus Chriſtus voluit. 283.
Patrum antiquorũ libris errores copioſè refutati ſunt. 202
Patrum antiquorum libros legere oportet. 204
De Patribus antiquis quid ſentiendum. 13
Patrum antiquorum ſcripta quare hæretici prohibeant recipi. 202
Patribus ſanctis hæretici credere nolunt. 341
Patrum maiorum virtutem ex animo ſuo hæretici æſtimãt. 338.
Patres ſapientes, hæretici ſtulti cenſendi ſunt. 324
Paullus tradendæ doctrinæ quem modum obſeruandum ſcripſit. 147
Paupertatem voluntariam quare monachi elegerint. 350
Peccata aliorum per famoſos libellos proponentes ſcandali materiam præſtant. 348
Peccata fructus ſunt humanæ imbecillitatis. 271
Pereuntium magnus eſt numerus. 119
Petitio principij in hæreticis eſt. 62
Phariſæis ſimiles ſunt hæretici. 317
Philoſophiæ prima pars eſt noſſe ſeipſum. 183
Piorum & iniquorum diuerſa conditio. 345
Platonis ſententia de iudicibus eligendis. 249

Pontifici

Pontifici Chriſti vicario Roma potentiſſima ſeſe ſubdidit. 256.
Pontifex ſummus honorem ſibi à Regibus delatum quare reiicere non debet. 259
Pontificis ſummi pedis oſculo quid proteſtemur. 253
Pontificis ſummi pedum oſculo qualiter Chriſti victoria eluceat. 254
Potentes miniſtros quare diabolus elegit. 305
Præconibus ſuis hæretici ampla ſtipēdia elargiebantur. 307
Precibus quod emitur, carè emitur. 337
Ad Principes Catholicos pia allocutio. 262
Principũ fauore hæretici ſubnixi, errores ſeminarunt. 306
Principes iugo legis ſubiiciuntur. 254
Priuatorum hominum opinionem eccleſiæ iudicio anteponere ſtultiſſimum. 335
Priuilegium eccleſiæ quod ſit. 141
Profeſſores ſcientiarum & ſcholaſticos qua aſtutia hæretici in errorem inducere conantur. 172
Propheta falſus aut verus quis. 268
Prophetas quales Deus miſerit. 285
Propheta verus fuit Dauid, licet adulterium cõmiſit. 269
Prouerbium Britannicum. 344
Prouerbium Gallicum. 95
Pudor fidei Catholicæ ad ſuos amplexus inuitat. 247
Pudor quando pernicioſus. 302
Puſillos præmonere oportuit. 122

Q.

Quæſtionibus friuolis detineri non decet. 356
Quæſtiones inutiles ad fidei illuſtrationem nihil valēt. 294
Quæſtio non eſt de abuſibus. 292
Quales homines ab hæreticis recipiantur. 299
Qualis vnuſquiſque eſt, tales ceteros eſſe iudicat. 344
Quid faciendum nobis ſit. 375
Quibus ſit credendum in fidei cauſſa. 141

R.

Ratio efficax contra hæreticos. 286

Rationis

Rationis vſum ira impedit. 149
Ad Reges Chriſtianos admonitio. 290
Regum Chriſtianorum quanta virtus. 258
Reges Galliæ per manuum impoſitionẽ ægros curant. 179
Regem Galliæ qualiter hæretici decipere conantur. 173
Regum potentiam Deus ſolus potuit deiicere. 257
Religioſos omnes ex peccato vnius religioſi hæretici condemnant. 345
Reſponſio hæreticorum ridicula. 82
Reuerentiam ſummo Pontifici exhibitam in pedis oſculo, idololatriam non eſſe. 252
Rhetorum fraudibus & dolis vtuntur hæretici ad defendendam ſuam cauſſam. 231
Rhetoricæ peritus cognoſcit dolos hæreticorum. 235
Rhetoricæ vſus. 212
Roma potentiſſima Chriſti vicario ſeſe ſubdidit. 256

S.

Sacerdotes hæretici perſequuntur. 333
Sacerdotes ſine vitæ diſcrimine iter agere non poterant. 300. 353.
Sacramentorum vis non ex miniſtrorum moribus pendere oſtenditur. 274
Sanctis & Deo diuerſus honor tribuitur. 80
Sanctos cum Chriſto regnare quid ſit. 82
Sanctos inuocare licet. 81
Sancti quam viam obſeruauerint. 323
Sapiens & ſtultus differunt. 325
Sapientia hæreticorum irridetur. 174
Sapientes ſibi qui videntur, qualiter Deus puniat. 139
Satanæ verſuta calliditas. 280
Satisfactionem æquiſſimam admittere nolunt hæretici. 217
Satisfactio ſufficiens eſt negare falſas opiniones quas Chriſtianis obiiciunt hæretici. 216
Scholas hæreticorum adire viris doctis moleſtum eſt. 113
Scholaſticos qua aſtutia in errores inducere hæretici conentur. 172
Scientiam ſuam hæretici Dei potentiæ æqualẽ faciunt. 191
Scripta antiquorum patrum quare hæretici prohibent recipi. 202

Scripturas arroganter exponunt hæretici. 116
Scripturarum diuinarum facilitatem iactantes hæretici à D. Hieronymo confutantur. 114
Scriptutarum diuinarum profunditas. 100
Scripturarum facilitatem hæretici ſuadentes damna plura inferunt. 106
Scripturæ quomodo vacabat D. Hieronymus. 109
De ſcripturæ ſacræ intelligentia quem ſtatum hæretici fingunt. 234
Scripturæ ſacræ verba mutant hæretici. 24
Scripturæ ſtudium quibus interdicitur. 145
Secta hæreticorum cupiditatibus fauet. 321
Secta hæreticorum plura falſa dogmata docet. 312
Sectam hæreticorum recipientes quales fuerint. 310
Sectam ſuam hæretici diuerſo amore recipiunt, quàm ante euangelicam legem recipiebant. 315
Seductor quis cenſendus ſit. 334
Seductores ſunt hæretici. 335.364
Sententia antiqua: Qui nihil ſcit, de nullo dubitat. 236
Senſuales quanta alacritate ſectam hæreticorum amplexi ſunt. 311
Simplicioribus cum hæreticis litigare non conuenit. 123
Sinonis fraudes Beza imitatur. 36
Sirenibus hæretici meritò comparantur. 150
Socrates ſe nihil ſcire confeſſus, ſapientiſſimus iudicatus eſt. 184
Spiritus Dei eſt ſpiritus pacis. 75
In Spiritualis ſalutis cauſſa cura maxima eſt adhibenda. 89
Spiritum ſanctum hæreticos habere non eſſe credendum. 140. 363.
Statum cauſſarum iudicibus hæretici celant. 233
Studio cui hæreticorum iudices dent operam. 244
Stultos ſanaſſe Chriſtus non legitur. 187
Superbia hæreticorum. 13.125.167.170
Suffragia ſanctorum implorare licet. 81
Sutor non vltra crepidam. 91

T.

Temerè agere in re graui, dementia eſt. 51
Temeritas hæreticorum. 34. 219

Templa quare hæretici ſpoliatæ decreuerunt. 300
Theologia ab hæreticis laceratur. 98
Theologica cauſſa qualem iudicem deſideret. 222
Theologicarum controuerſiarum cognitionē quare theologis hæretici eripere conentur. 117
Theologica controuerſia quanta deſideret. 235
Theologus melius quàm quiuis alius euangelium intelliget. 169
Theologiæ ſcholaſticæ neceſſitas. 222
Theologiæ ſtudium non eſt malorum cauſſa. 170
Theologia ſublimior omnibus ſcientiis. 164
Tribulationibus multis cælum ingredi oportet. 321
Tumor in hæreticis creſcens non ſinit eos veritatem agnoſcere. 167

V.

Verbo Dei non credere quid ſit. 190
Veridicos non eſſe hæreticos. 366
Veritatem Beza malitioſè oppugnat. 103
Veritatem opprimere hæretici intendunt. 149
Veritas temporis filia. 221
Via quam ſancti ſeruauerunt. 323
Victoria eccleſiæ. 255
Victoria Chriſti in ſummi pontificis pedum oſculo elucet. 254.
Vineam Domini hæretici depaſcuntur. 98
Virgo Maria humiliter à nobis eſt ſalutanda. 319
Viris doctis hæreticorum ſcholam adire moleſtum eſſe oſtenditur. 113
Vis ſacramentorum ex miniſtrorum moribus non dependet. 274
Vitæ alienæ cenſores temerè de fratribus Franciſcanis equitantibus iudicant. 352
Vita Chriſtianorum & mores. 11
Vocatio diuina quibus teſtimoniis comprobari ſoleat. 60
Vocationem ſuam nullo teſtimonio probant hæretici. 61
Voluntariam paupertatem quare monachi elegerint. 350
Vſurpant hæretici officium ſupremi iudicij. 84
Vſus Rhetoricæ. 222
Vtilitas Grammaticæ. 222
Vulgi leuitas. 40

FINIS.

ANTVERPIÆ EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS, ARCHITYPOGRAPHVS REGIVS, ANNO M. D. LXXV.